

# CONSPECTUS

# THERMARUM BUDENSIA

THEMA INAUGURALE


PRO CONSEQUENDA

DOCTORATUS MEDICINAE LAUREA

ANNUENTE INCLITA FACULTATE MEDICA

REG. SCIENTIARUM UNIVERSITATIS HUNG.

DEDUCTUM.



A U G T O R E

F R A N C . X A V . L I N Z B A U E R

N A T O B U D E N S I .

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos  
Dicit, et inimemores non sinit esse sui!  
Ovidius.

---

In theses adnexas disputabitur publice in Aedibus Facult.  
Medicae Die 2. Junii 1832.

---

B U D A E ,

T Y P I S T Y P O G R . R E G I A E U N I V E R S I T A T I S H U N G A R I C A E .

S P E C T A B I L I

A C

M A G N I F I C O

DOMINO DOMINO

DEO VICTORI ET VICTORI

MICHAELI À LENHOSSEK

MED. DOCT. INSIGNIS ORDIN. REGII SVBCICI VASAEI EQUITI,  
SACR. CAES. ET REG. APOSTOLICÆ MAJESTATIS AD EXCELS.  
CONSILIJ REGIJ LOCUMTENENTIALE HUNG. A CONSILIIS,  
REGNI HUNGARIAE PROTOMEDICÓ, IN REGIA SCIENTIARUM  
UNIVERSITATE PESTIENKI NTUHI MEDICO-CHIRURGICI DIRECT.,  
ET FACULTATIS MEDICAЕ PRAESIDI, FACULTATIS MED. CAES.  
REG. SCIENTIARUM UNIVERSITATIS, ET ACADEMIAE MEDICO-  
CHIRURGICAE JOSEPHINAЕ VINDOBONENSIS, SOCIETATIS REG.  
BRITANNICAE, GÖTTINGENSIS, PHYSICO-MEDICAЕ ERLANGENSIS,  
MED. CHIR. BEROLINENSIS, CAES. MED. VILNENSIS, ACAD. MED.  
CHIR. NEAPOLITANAE, IMPER. MED. CHIR. PETROPOLITANAE,  
REGIAE TAURINENSIS, CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE  
NATRAE CURIOSORUM, LITTERARIAE ITEM ET ARTIUM  
OECONOMICARUM TOSCANAЕ DE VALLE TIBERINA ETC. ETC.  
MEMBRO, I. I. COMITATUM STRIGONIENSIS, SIMEGHENSIS, ET  
PEST, PILIS, ET SOLT ARTICULARITER UNITORUM TABULAE  
JUDICIARIAE ASSESSORI ETC. ETC.

*Preis und Ehre Würd' der die Brunnen der Tiefe  
und des unterirdischen Lebens eröffnet hat, um  
daraus unversiegbare Quellen des Lebens und der  
Gesundheit auf die Erde hervorströmen zu lassen!*

Ch. W. Hufeland.

## Ad Lectorem.

Dulcissima ea semper mihi' manebit recordatio, teneros ingenii nervos primum circa Patriae objectum intendisse! Procul quidem absūm, ut validi quid — me praestasse putem; nam id nec valeo — nec potui. —

Multiplicium illorum, quibus Buda abundat, Thermae vix non unicae sunt, quae omni. merita tamen — attentione huicdum carebant, et actu carent, — quod recte SCHAMS his innuit verbis: „*Es wäre eine Aufgabe . . . für einen erfahrenen Arzt, ein Regulatō zu entwerfen, an das sich die Aerzte in der Ferne mit ihren Kranken - Sendangen halten könnten.* — *Gewiss hat die Nymphe der Bäder das Recht, um diesen Dienst* (ärztliche Aufmerksamkeit) *ihre Eigenthümer anzusprechen; denn alle bisherigen Beschreibungen über die Ofner Bäder . . . sind zu oberflächlich, und taugen zum Gebrauche für die Gegenwart nicht.*“ Verba certe omni veritate majora, utinam rite pensarentur! — Illic quidem voto pro nunc nec satisfieri posse, pluribus in locis per decursum opusculi indigitavi, quod ideo Conspectum Thermanum Budensium compellare placuit, ne titulus amplior evadat substrato, quod sic dispositum habetur, ut:

INTRODUCTIO complectatur: Generalia quaepiam de morbis chronicis, ac praeprimis de horum per aquas soterias sanationem, ob quam et Thermae Budenses jam dudum inclaruere.

**CAPITE autem I** contineantur: Antiquitates historicae Thermarum Budensium — hucdum a nullo praedecessorum collectae.

**CAPITE II:** Succincta detur Topo-et Physiographia soli Budensis, cum cunctis de Urbis nomine sententiis. Haec sequatur specialis singularum Thermarum descriptio (addito simul balneorum pretio.)

**CAPITE III:** Cunctae Thermarum nostrarum Analyses chemicae in hodiernum institutae sistantur.

**CAPITE IV:** Praeter generalia de Usu discussiantur quaestiones: quomodo? et quibus morbis Thermae nostraee medeantur?

**CAPITE demum V:** Administrationem politico-medico thermalem, quae concernunt, recenseantur.

Varias autem Auctorum de Thermis Budensibus controversias critice proponere ac refutare intermisi, — neque quis BELIUM in Tractatu historico praetermissum miretur; cum is recentiorum jam temporum Scriptor sit.

*Suscipe chara Patria filii tui tenerum hocce conamen!!!*

Scribebam Budae, die 2. M. Maji. 1832.

## Introductio.

Ingens est morborum, — — corpus humanum vix plasmatum, et usque dum vivum denuo extinctum Universi redditur materierum acervo, adfligentium numerus! Hujus, eos cumprimis horremus, qui e seminibus tum nefanda haereditate acquisitis, quum in infantia ubere ipso communicatis, in juventute illicitorum coeca libidine, in viro praerogativarum cuncti nominis abusu, in sene tandem recensitorum ad summam concursu; aut, quod censu dignissimum — ipsius vitae organicae per periodos nunc memoratas metamorphoseos pro et regressu; aut e summe variantibus affectionum acutarum reliquiis, fructibus; aut e causis morbi externis tam sporadicis, quam cosinicis — innuinerisque aliis — quasi conflatis positisque clandestina propullulant germinatione. Etenim communem prosperae secus valetudinis sensum quando solum — acrius offendentes, sunt, qui ex enatis, ob eundem hunc, vitae illecebris novis, ipsiusque liberius concessa consuetudinis ut dicam malacia, uberioris suae evolutionis genuinum sibi legunt nutrimentum fatale: donec radicibus ipsis dispensis suis, velut in solo materno, in diversissimis organismi systematibus fixati, plena parasitice crescant, florentque ubertate! Atque nunc, prout ad lente nascentium germina annihilanda, ipsa autocratiae naturae vis, sub continuo potentiarum nocentium, magis illis (morborum germinibus) quam huic faventium adpulsu inops redditia; ita fit, ut ulterius evoluta, eam quantam sibi subjungent, fraudulentumque diuturnum, sub varia functionum organismi anomalarum efflige, ineant connubium. Donec tandem, vel turbato, qui per universum vigebat organismum, virium concentu, vel fructu suo, quem consummati gignunt infenso (si itaque vis, et

modo dynamico et organico — —) exitiali, proprio  
una cum substrato, terminentur exitu!!

Hae ergo adfectionum morbosarum formae, a  
priscis inde Asclepiadis Bithyni temporibus, chro ni-  
carum nomine, cum diu nimis durent, insignitae  
fuere.

Etsi Medicina in cunctis suis, quibus hodie complectitur cognitionum sphaeris, ac praeprimis quantum in suo ad genus humanum fine, in cognoscendis nimirum, praecavendis, et, si qui sunt, delendis curan disque morbis, miranda jam fulgeat claritate; memoratorum tamen morborum tum diagnostica, pathogenetica, prognostica, quum therapeutica, posterorum conatibus revelanda spectat mysteria! Missis prioribus, postremam solummodo pensitabimus partem, de qua cell. ipse Wilhelminus Andr. HAASE \*) sequentia ait:

*„Die Geschichte der Medizin lehrt es unwidersprechlich, dass die Ärzte aller Zeitperioden, ohne Ausnahme rücksichtlich der Erkenntniss und Cur acuter Krankheiten sich auf einer höhern Stufe der Einsicht und Vollkommenheit befanden, als dieses in Hinsicht auf die chronischen Krankheiten Statt fand, und selbst von unserm Zeitalter muss die Bemerkung gelten, insosfern noch gegenwärtig bey Behandlung chronischer Krankheiten der Empirismus früherer Zeiten, wenn gleich mehr verfeinert, und verschleyert, als ehemal, dem aufmerksamen Beobachter des ärztlichen Handelns nicht entgehen kann.“*

Neminem certo medicorum (quod nec vulgus ipse ignorat) latebit, quibus et quantis in curatione morborum chronicorum intentum esse oporteat, — quam saepe solertissimum, sagacissimum, et simul praesentia,

---

\*) *Über die Erkenntniß und Cur der chronischen Krankheiten des menschlichen Organismus.* 1. Theil. D. pag. 78 Wien 1830.

mitigata, increscentia, sibique succendentia fallant morbi symptomata. — Quanto hic non constantiae intrepidiae fulcro? quam diutina patientiae mora opus? etenim morbus pertinax, aegripe animus intolerabilis! — Hicce corrusca, medice, dote tua pulcherrima: In simulato humanitatis zelo!! Quaecunque locupletata tibi scientia suggestit indicationum principia, observasti: cuncta, quae casta duce experientia, benigna offert natura medendi media usurpasti circumspectus, et vix ullum tibi adfulget aegroti levamen. Donec tandem eum ad conflictum cum Universo, cuius ipse pars est, disponendo, in aquarium mineralium introducas portum, ut placidis ibidem mergatur undis, vitaeque annona completus, recuperata nunc salute exultans, neo-secundos vitae suae vivat dies! —

Simile morbo oppressis optatum refugium Metropolis nostra est, quinque Thermarum aedibus dives exornata, multisque retro ab annis de harum in morbos dirissimos efficacia insignis! —

### L iteratura.

Stoker Laur. Med. D. Thermographia Budensis seu Scrutinium physico-medicum aquarum mineralium Budae scaturientium. Aug. Vindel. et Graecii 1721. in 4.

Oesterreicher Jos. Man. Analyses aquarum Budensium. (dissertatio inauguralis medica) Viennae 1781. in 8.

Denhoffer Vinc. Jos. Succincta notitia virtutum et usus medici aquae soteriae Budae ad thermas caesareas recens inventae. Budae 1804. in 8.

De aqua soteria thermarum budensium, quae caesareae dicuntur, disserit Commissio medica per Excels. Consilium R. L. Hungaricum delegata. Budae 1804. in 8.

Recensentur thermae Budenses porro in operibus: Wernher Georg. Hipomnemation de admirandis Hungariae aquis. (Scriptor Saec. 16. edid. J. G. Schwandtner in opere citando.)

Neu aus seinem Stein - Haufen wiederum aufwachen des Ofen. Ofen 1733. 8.

Bel Matthiae. Notitia Hungariae novae (in historia Urbis Budensis) Viennae 1737. in Fol.

Miller Joan. Ferd. Epitome vicissitudinum et rerum memorabilium de L. R. ac Metrop. Urbe Budensi. Budae 1760. in 4.

Schams Fr. Vollständige Beschreibung der königl. freyen Haupt-Stadt Ofen. Ofen 1822. in 8.

Szepesházi Carl v. und Thiele J. C. v. Neuester Wegweiser durch das Königreich Ungarn etc. verbunden mit einer ausführlichen Beschreibung aller Mineral - Bäder, Gesundbrunnen und Heilquellen. Kaschau 1827. in 8.

Kitaibel Pauli. Hydrographica Hungariae. Edidit Joan. Schuster. Tomi II. Pestini 1829.

Quosdam adhuc de rebus Hungaricis Scriptores, nec non folia sparsa, quae quaepiam mendis plena de thermis Budensibus continent, adducere, supervacaneum esse duximus.

*Ad evitandas frequentiores citationes, nota:*

Schwandtner Joan. Georg. Scriptores rerum Hungaricarum veteres ac genuini. Viennae apud Kraus 1766. in fol.

Continetur

- II. Joannis de Thutoe. Chronica Hungarorum.

- IV. Petri Ranzani. Epitome rerum Hungaricarum.

- XXI. Georgii Wernher. Opus supra citatum.

## Caput I.

Pannoniam, dulcissimam Hungarorum patriam, non multis ante Christum natum annis, inseparabile in hodiernum cum reliquis orbis, jam tunc cultae, plagis connubium inivisse, historia fide constat. Etenim Romani, Universi imperium anhelantes, marte favente, longe lateque dissitas subegere oras, et sic Pannonia quoque potiti. Spectabat vero ad eandem inferior hodie pars Austriae, ubi \*) *Thermas Badenses (Baden bei Wien)* Romanis multum dilectas fuisse Dr Schenk \*\*) lapide cum inscriptione: *Aqua e anno 1767 invento demonstrat, et detecto anno 1796 balneo Romano, caldarium repraesentante, extra omne dubium ponit.* Spectabant porro Hungariae hodiernae loca quamplurima \*\*\*) inter quae vix non maxime celebratum fuerat: *Aquincum — Aquinuum — Acinquum — A cincum, quod Scriptores rerum Hungaricarum Si cambriam \*\*\*\*) nomenclantur, hodieque Vetus — Bud a est.*

\*) Carnuntum - Petronell, Aequinoctium - Fischament, Alam novam - Schwechat, Cetium - Sct. Polten, Comagena - Tullnæ - Tula, et praetor alia: (Steph. Schönwiesner, *Commentarius geographicus*. P. II. Budæ 1780.

\*\*) *Die Schwefelquelle von Baden in Niederösterreich Wien 1825 in 4.*

\*\*\*) Praeter Taurunum - Belgrād, ut: Singidunum - Szemlén, Murra - Eszek, Pontianae - Vetassalina - Adony, Campona - Promontorium, Scarabantia - Sopron, Antianas - Baranyavár, Bregetium - Szóny, Arabona - Györ, Sabaria - Szombathely, Salva - Esztergom, Azam - Almásou foliū, Cirpum - Carpum - Maroth, Cramerum - Nyerges - Újsalu, etc. etc.

\*\*\*\*) *Præceunte joanne de trax in Chr. Hung. Cap. I. pag. 43. qui tradit: „Franconem (filium olim Paridis ac Priami ultimi Regis Trojanorum nepotem) post Trujanæ urbis excidium in Pannoniam, quea olim magni Alexandri sevo superior Graecia vocebatur, magno cum populo veniso, et sub moote Sycan, secus fluvium Istrum, qui at Danubius dicitur, civitatem amplissimam sedificasse, et illi nomen a monte Sycan praedicto, Sycambriam imposuisse.“ Eadem, paulo mutata, Uspurgensis chthonicon continet. Ast ANTONIUS BONARIUS (in opere: Rerum Hungaricarum Decades. Edid. J. Sambusca. Hammoviso 1806.) Dec. I. Lib. I. pag. 54 longe diversa sentit. .. Sue*

Fuit autem Aquincum amplum ac magnificum, (sedes Legionis II. Adjutricis jam an. Chr. 69 — 79 Tito Vespasiano, juxta alios an. Chr. 117 — 138 Hadriano, Augustis huc positae) balneis publicis splendidissimis, fontibusque salientibus anno Chr. 201 Septimio Severo Augusto amoenissimis; laconico caldariove jam Philippinorum Augustorum tempore, id est: intra annos p. Chr. 244 — 49 procul dubio usuato decoratum. — Fuit autem Laconicum memoratum, regnante diva Maria Theresia MDCCCLXXVIII. III. Non. Febr. repertum, atque in repurgatione horum ruderrum inventus laterculus hisce signatus: **KG<sup>n</sup>ADP<sub>P</sub>** quod legendum: *Legio secunda adjutrix, pia, fidelis.*

— Laterculi hujus eo ex respectu hic meminisse statuimus: cum similes, Legionum utique X et XIII in inferiori Austria locatarum, praefatus Dr Schenk in thermis Badensibus inventos adfirmet, cumque abunde demonstret: balnea haec publico labore constructa, publicis quoque usibus inserviisse. —

Haec ergo in dubia thermarum Budensium incunabula! si una aquilegium ad molendinam pulveris pyrii romano labore constructum, hodie dumque

*pra Budam vetorem in eadem Danubii ripa, vetustissimae urbis vestigia nuo cernuntur, magnumque murorum ambitum reserant. Sicambriam quo juniores dicunt, a Sicambris remotissimis Germaniae populis nam civitas ista ex auxiliatrice Sicambria, legione Germaniae, nomen olim assumit. In hac veteri Buda lapis effossus est Mattheiae Regis tempore. dum fundamenta jacentur aedium Beatrixis Reginae, cum tali inscriptione: Legio Sicambrorum hic praesidio collacata civitatem aedificarunt, quam de suo nomine Sicambriam vocaverant." — Lapis tamen hic est apocryphus; quare STEPHANUS SCHÖNWAERNER in hac praemissa, ut et in ea, que Belius, Lariss. Christophorus de Jordan sibi de veteri Sicambria persuadent, discussis cunctis, opere. De ruderibus Laconici Caldariisque Romani etc. Budae 1778. pag. 21. tandem infert; .. Rem ita habe: Si Aquincum suae opinari velis toto eo tempore, quo Romani hanc plagam ingredierant, non desunt rationum momenta, quibus opinionem tuoaris: Sin autem requiras, an et cuius nominis oppidum, antequam Augustus Caeter Pannonias per Tiberium Romanum adcessisset Imperio, hoc loco steterit " in tensibis palpas."*

firmum; si aquaeductum ex hoc decurrentium rudera vetustissima; si simile, allato prius Laconico, structurae monumentum in vicinia molendinae (vulgo *Krempel-Mühle*) detectum; si Neptuni ac Nympharum effigies repertas rite aestimaveris; et porro, quid ipsum innuit nomen Aquincum? quid demum Romanorum consuetudines perquam notae nos informant? quam eos, ubi licuit, omne balneandi deliciarum fastigium quaesivisse — posuisse.

An vero, et quis hodiernarum scaturiginum fuerit tunc temporis usus? non liquet, — ut adeo eas, seniori solum aevo exortas, nonnulli suscipentur, eo nimirum tempore an. Chr. 445, quo Sabaria \*) VII Idus Septb., juxta alios V — VI, et sentiente Carolo Sigonio VI Idus Julias terraemotu vix non integra subverteretur. — Huic tamen opinioni credimus — multum adversatur: monumentum sepulcrale Romanum \*\*) hoc anno, die 24. Januarii ad ipsum Montis Josephi pedem, et non magna supra thermas Caesa-

\*) Steph. Schönwimmer. *Antiquitatum et Historiae Sabariensis Libri novem.* Pestini 1791. pag. 196.

\*\*) Cum inscriptione.

D. M.

AVRELIO. ANTONINO SIG. LEG. II. AD.

STIP. XVIII. QUI. VIX. AN. XLV. IVLIA. CONIVX.

LVCJA. AURELIA. ANTONINA. FILIA. CURAVE-RUNT. MIL. ET. LIBERTORVM. MEORUM. F. C.

*Præter sarcophagam, in quo erant: Skeleton, alterum viri, feminas alterum, Vitrum facrimotorium, et Simulacrum osseum representans feminam, infans tamen uberibus admoventem, — reporta sunt duo fragmīs:*

*In primo sequentia leguntur:*

PIO. FIDELI. AMALOGERO. DOMO.

PETOVIONE. TRIBUNO. LATICLAVIALI. HISP. H. S. E.

*In secundo:*

PE. ET. NO. SVO. HAEREDES.

(Desumum ex relatione Seruist. Aust. Archiduci et R. Hung. Palatino praestit.)

reas distantia repertum, quod in eo plane, prout visum, ad horisontem situ immoto locatum minime certo perstitisset, dum ingentem illam Montis Josephi aquarum molem vulcanicae vires in aprioum propellere admitebantur. Putamus itaque scaturigines nostras et Romanis notas, et longe olim e sinu terrarum profusas fuisse. — —

Fuere autem Romani Pannoniae, thermarumque Aquincensium beati possessores, donec ad finem saec. III. et initium IV. bellicosarum gentium, et in specie Hunnorum incursionibus infestati, sensimque debilitati, tandem — sedes dilectas his cedere coacti fuissent. — Decessere et ipsi hi, mortuo, ut fertur, an. Chr. 454 Rege eorum Atila, in pristinam, unde venerant, Scythiam. — Petiere denuo, et heu! permanenter, Magyarorum nomine, (sileamus de Avaribus) 300. post annorum intervallum (juxta recentiores an. Chr. 884 — 89) fertilia Pannoniae prata, et e genere Ducum anno p. Chr. natum 1000 fulget diademate regio apostolicus divus Stephanus.

Nulla per tot saecula vel ullibi occurrit vicissitudinem thermalium memoria! —

Scimus per divum Regem Stephanum Vetus-Budae, quod tunc ab Atila inde: *Ethyl-Etelvár*, germ. *Ezelburg* dicebatur, templum splendidum erectum; fertur Ladislaum Set. frequentius hic moralum; constat sub sceptro Geisae II., Stephani III., et iuprimis Belae III. locum multum ampliatum, atque abolito praedicto nomine: *Buduvar-Budavár* nominatum fuisse, ita quidem, ut Andreas II. diplomate an. Chr. 1212 exarato, territorio Ecclesiae Budensis, primam metam inter Budam et calidas aquas posuerit. \*)

\*) Fejér Georg. Codex diplomaticus Hungariae ecclesiasticus ac civilis. Budae 1829. Tome III. Vol. I. pag. 118.

Minime tamen quis credat, nomine *Buda* Metropolim nostram complecti; hujus enim incunabula nonnisi Bela IV regnante an. Chr. 1241 - 2 molita, erectis videlicet rapaces Tartarorum tunc grassantium manus elidentibus castellis in novo monte Pestensi, modernae nostrae arcis sede. Et quamvis haec nova Buda, ejectis e regno Tartaris, multum adaueta, tandem in Liberam regiam ac plane Metropolim Urbem elata, sedes regia, ut volunt, Ludovici I an. Chr. 1343 (alii 1352) et posterorum fuerat Regum; nulla tanien Thermarum, praeter Civitatis territorium: *Felheuwyz* - *Fölhévviz* (aquarum calidarum superiorum - Montis Josephi ambitum) nominatum, occurrit mentio. Non minus quidem et meridionalis Civitatis pars suam ab hic loci thermis nomenclationem nacta est; etenim supra montem S. Gerhardi (ubi hodie Taban - Civitas Rascianica situatur) *Kis-Pest*, dorsum vero villa S. Elisabethae - *Szent Erszébet salva*, alias *Altévviz* jam circa annum 1459 dicebatur. \*)

Sequentibus nunc saeculis, varii de Hungaria Scriptores, dum de urbe Buda agerent, una et Thermarum hic loci meminere, et quidem:

BERTRANDON de la BROQUIÈRE (premier écuyer trachant du Duc de Bourgogne Philipp le Bon) in redditu suo e Palaestina post ferias paschales an. 1433 per Hungariam, Budam \*\*) sequentibus describit: „*Osen die Hauptstadt von Ungern liegt auf einer um vieles mehr langen als breiten Anhöhe. Gegen Morgen hat es die Donau, gegen Abend ein Thal, gegen Mittag einen Pallast, dessen Bau der Kaiser (Sigmund) angefangen hat, und der, wenn er einmal vollendet ist, gross und fest seyn wird: Von dieser*

\*) *Kapituli Hungaria diplomatica. Vindobonae 1771. P. II. pag. 343.*

\*\*) *Eugel L. Chr. Geschichte des Ungarischen Reichs. Wien 1813. 2. B. pag. 376.*

*Seite aber ausser den Mauern sind sehr schöne warme Bäder. Es giebt deren auch gegen Osten längs der Donau; aber sie kommen jenen an Güte nicht gleich. et porro: Die Umgebungen von Ofen sind angenehm, und das Gebiet der Stadt ist fruchtbar an allerhand Lebensmitteln, besonders an weissen Weinen (— —) welche ein wenig Feuer un peu d' ardeur haben, welches man den warmen Bädern, und den über Schwefel rinnenden Wässern zuschreibt.“*

Immortali Hungarorum Rege Matthia Corvino ab an. 1458 — 90 regnante, de Thermarum Budensium facie nos informat NICOLAUS OLÁH \*) + „A meridie objicitur altissima praeruptaque rupes, divo Gerardo ex eo sacra, quod hinc biga alligatus, per quosdam Hungaros in paeceps actus erat. In hujus radice, a Danubii ripa ad viginti fere passus recedente, scaturiunt thermiae, aegris corporibus, praesertim pustulis et tabe infectis, maxime salubres. Inter quas sunt et aliae, quae regiae nominantur, ob Regis in his balneum, in quibus natura possit. ++ Introrsus meridiem et Danubium versus est oppidum Vetus Buda, in qua fundata est Ecclesia Collegiata, Praepositura, et aliis sacerdotiis insigne. Supra hoc oppidum, eodem tractu est Xenodochium S. Spiritus, in quo thermiae salubres erumpunt. Paulo longius Budam versus, est aliud oppidum S. Trinitatis, quod hungarice Felhéviz vocatur, collegiata Ecclesia, et thermis eleganti domo conclusis pariter inclytum. Sunt et aliae ibidem sub dio in tribus aut quatvor locis thermiae, omnes mirum in modum salubres. Aliquae ex his e ripa Da-

\*) Archi - Episcopus Strigoniensis cum Maria Regina Ludovici Regis viuis post cladem Mohácsianam, in Belgio Bruxellis 1536. degens. Codicem rerum Hungaricarum exaravit, quem odidit Kollát. Vicens 1565 pag. 21 †, pag. 22 † †, et de Hungariae oportunitatibus agens, pag. 81 † † †.

nubii vix decem absunt passibus, sub dio patentes, in queis rustici, vinearumque cultores lavari conservare, capite et humeris tenuis extantes. + + + Thermae quoque quamplurimae sunt diversis in locis tanta vehementia alicubi erumpentes, ut molas circumagant frumentarias. Hae ad omne fere genus morborum curandorum savissimae, ex experientia habentur; maxime, quae sunt Budae, Varadini, Trenchini et in Sclavonia.“

Jussu Regis Uladislai II ab an. 1490 — 1516 regnantis, ANTONIUS BONFINIUS \*) rerum Hungaricarum decades exarando, paucis nonnisi de Buda agit: „ad Danubium recedit montana quidem regio, et tota vitifera, et ob calidas aquas sulfureum fert vinum.“ — Nec plura sunt:

SIGISMUNDI L. B. de HERBERSTEIN in epistola ad Georgium Wernherum de thermis Budensibus verba: \*\*) „Scio quidem et vidi ipsem, apud Serenissimum quondam Ludovicum (intra annos 1516 — 26) Hungariae Regem, divi Imperatoris Maximiliani legatione fungens, ad Budam sedem regiam thermas esse, quarum calorem immissa manu ferre nequeas, quod eiutique, qui ante non vidit, mirabile videtur.“ Eadem fere

AUGERIUS GISLENIUS BUSBECQUIUS \*\*\*) circa dimidium saeculi XVI legatione constantinopolitana fungens adfert: „Illud quoque, dum eram Budae, videre juvit, fontem, qui est extra portam, qua iter est Constantinopolim in summo mire ferventem: in cuius tamen fundo natantes despicias pisces, quos inde, nisi coccos eximi posse, non putes.“

\*) Opere jam cit. Dec. I. Lib. I. pag. 24.

\*\*) I. G. Schwendtaer pag. 866.

\*\*\*) Legationis turcicæ Epistolæ. Basiliæ 1740. Epist. I. pag. 17.

Uberiorem, praecedentibus binis, cognitionem eo de tempore, quo Metropolis nostra diro sub Turcarum jugo gemuerat, GEORGIVS WERNHERUS \*) tradit: „Buda, quam Hungariae Reges ob loci situm, opportunitatem, et amoenitatem, merito pro regia habuerunt. Hic propter ipsam Danubii ripam calidae sunt multae, inter quas differentia major est, quam pro loci discrimine. Quaedam enim non modo tolerabili, sed ita jucundo sunt calore, ut ad hominum lavacra, naturae, benignitate singulari, datae esse videantur. Hujus generis sunt infra arcem regiam aliae, regiae vocatae, vel propter vicinam regiam, vel quia regio opere ornatae et conclusae, vel quia in his Reges lavare consueverunt: aliae communes, quibus saxum, seu nativa fornix impendet, quas Turcae post occupatam Budam, latius excavata rupe, ampliores reddiderunt, caeterisque preferre dicuntur. At, quae supra Budam sunt, quarum aliae regiae, aliae hospitales a vicino ptochodochio dictae fuere, balneis sunt inutiles nisi refrigerentur. Sic enim quaedam calent, vel fervent potius, ut in eas missum ovum non minus cito, quam ad luculentum ignem, elixetur. Temperantur autem in balneis frigida, cuius ibi fons calidis ita contiguus est, ut qui haustum veniunt duabus urnis, eadem in vestigio, altera calidam, altera frigidam haurire possint.“

„Ibidem est sub dio fons calidarum, caeteris amplior, quem purgatorium vocavere, ea nimirum ratione: quod quemadmodum proditum est, in purgatorio poenas nocentium pro noxarum modo, alias acerbiores, alias mitiores esse, ita quaedam insunt aquae hoc in fonte discrimina. Nam qua in cum a Danubii

---

\*) Op. cit. pag. 848.

ripa aditus est, subfrigida primum, mox tepida, et quo in eam penetraris altius, hoc magis calet. In recessu autem interiore tam est calida, ut ferri non possit. Est autem hic calor haud dubie aquae hujus proprius. Nam alia, quae dixi temperamenta, verisimile est a Danubio accedere, qui crepitudinem hujus fontis lambit, et cum vel modice excrescit, totum inundat, neque tamen ita restringit, quin caleat. Quin intra ipsam ripam, qua Danubio perennis cursus est, calidae ebulliunt, ubi qui altius mergi volunt, lavare consueverunt.“

Porro hae ad Budam thermae, liceat vero mihi hac voce iu calidarum aquarum appellatione uti, quod alterae, ut dictum est, infra, alterae supra urbem essent, ex eo quoque invenere nomen, ut illae inferiores, hac superiores vocarentur. Utrasque Turcae, quibus tamen omnia vastare libido est, non modo non corruperunt, sed etiam cultiores, ac per speciem religionis quasi augustiores reddiderunt. Nam Bassa Mahometh \*) quem Tyrannus victor Budae captae, ac reliquis Hungariae a se debellatae partibus, gubernatorem imposuit, apud utrasque Dervisis (monachis) domicilia, ceu coenobia extrui curavit. Sacello etiam apud superiores, in colle vicino, qui ante vitibus consitus fuit, posito, consecravit locum memoriae cujusdam ejus ordinis, quem dum viveret, ceu numen quoddam venerati sunt Turcae, et nunc mortuum, illoque in loco conditum, religiose colunt.“ Dein:

„Sed delectantur in universum plurimum lotionibus et balneis Turcae, coque praecipuum apud eos pietatis opus est, instituere et condere balnea publica,

---

\*) Alias Mohammedpascha Jahjapeschafade - Jahjapeschaghli, nepos Jalija Bosnico Praefecti, ex hujs filio Hamsa Balibeg progenitus, erat tortius Budae Praefectus ab 15. Maii 1563--68. Vido Joseph. Hammer Geschichte des Osmanischen Reichs. Wien 1828. 3 Tant. pag. 252. 446-47. 795.

nec id tantum viventibus, sed etiam vita functis salutare putant. Hac ratione is, qui nunc rerum potitur Solimannus, tum alibi tum Budae in aedibus, quae quondam fuerunt Archiepiscopi Colocensis, amplissimum balneum, pro sua, suorumque salute fieri curavit, in quod e Danubio per canales subterraneos, aqua in multam altitudinem, ut est Budae ad Danubium situs, ducitur. Ipsum balneum intus incrustatum et stratum est monumentis marmoreis: quae antea in templis fuere posita, imaginibus tamen, si quae insculptae fuerunt, resectis, et toto opere perpolito.“

„Eadem gloria quaesita est ei, quem diximus Bassae Mahumeth, qui thermas Budenses, ex aedificatis illis Dervisarum coenobiis, conditorioque ejus, de quo diximus, illustriores reddere studuit. Hic vero videre est, mirabilem rerum commutationem: nam quae loca Hungarisi, incolumi ac florente Buda, voluptatis domicilia fuere, ea religiose ornarunt Turcae, flagitiose contra profanantes, quae antea habita sunt pro sacrosanctis.“

„In therinis superioribus supra eos fontes, quibus ad lavacra usus est, sunt piscinae calidae, in quibus nascuntur et vivunt pisces, qui in frigidam translati, emoriuntur. Sunt etiam calidae in opposita Danubii ripa, supra Pesthum, sed minus celebres propterea, quod ita conjunctae sunt alveo fluminis, ut ad quaevis ejus incrementa corrumpantur.

Eodem adhuc saeculo NIKOLAUS ISTVÁNFI \*) coetaneus tunc sub Rudolpho (ab an. 1576-1608) Hungariae Rege scriptor, de novo per Turcas thermarum Budensium augmento nos informat, dum Duce Mathia Principe factam Budac oppugnationem describens ait:

---

\*) Historiarum de rebus hungaricis Libri XXXIV. Summis Antonii Hieronimi Agrippinac. Anno 1602. pag. 755.

„Ungaricus vero peditatus, ut locorum et viarum peritior, thermas, quae olim inferiores, nunc autem Mustaphanae vocantur, eadem nocte occupavit: simul cum aliis thermis, quae olim superiores, seu S. Trinitatis vocari consueverant. Illas nostra memoria Mustapha \*) Budensis Praefectus, lapidibus quadratis sumptuosissime restaurandas, ac plumbo ac vitreis supra laquearia tabulis contegendas curaverat; in his vero molas circiter XXX, quae partim pulverem tormentarium, sulphure et salignis carbonibus commixtum pistillis pertunderent; partim vero, quibus etiam frumentum moleretur, eleganti Asiatici artificis opere construxerat, muroque claudi jusserset.“

Similiter et SALAMON SCHWEIGGER \*\*) anno 1577 iter Constantinopolim suscipiens (vide \*\*\*) quasdam — thermarum Budensium describit: „Ich komme wider an die Stadt Ova; nach dem Schloss hab ich nichts fürtrefliches daselbst gesehn, dann die selbstwarmen Bäder oder Wildbäder, sie seyn zumaln auch köstlich gebauwt, mit marmonsteinern Tafeln, sonderlich am Boden, mitten in der Badstuben ist ein runder Kast in die Tieffe gebauwt, bey achtzehn Schritt weit, geht einem Mann biss unter die Arm, rings herumb hat der Kast inwendig vier steinern Stufen, darauff man zu sitzen pflegt, so tieff einer wil, darein kombt doch kein Weib, denn sie hielten für ein öffentliche Schand; die Quell dieser Bäder soll so heiss seyn, dass man darinn ein Schwein kann brühen, jedoch schwimmen die Frösch heufig darinn, ohne alle Hindernus.“

\*) Alias: Bassa Mustapha Sokollian. 1566. Budensis Praefectus. Vide Hammer cit. pag. 446. 795.

\*\*) Ein neue Reysbeschreibung aus Deutschland nach Konstantinopel und Jerusalem. Nürnberg 1613. 1. Buch. S. 26.

\*\*\*) Großes vollständiges Universal Lexicon. Leipzig und Halle 1743. Tom. 36. pag. 247.

Dum autem Turcae jam vix non extremos suae  
in Hungaria potestatis annos numerarent, quaedam de  
thermis nostris itinerator Anglus EDUARDUS BROWNE \*)  
commemorat. „Auch sind allhier zu sehen, einige  
schöne Mosqueen, Caravanseras, oder grosse leere Häu-  
ser zur Herberge der Reisenden, und aus den Massen  
treffliche Badstuben, deren ich acht gewahr wurde,  
und badete ich mich in unterschiedlichen derselben;  
darunter die allerherrlichste ist, das Bad von Velibey,  
welches sehr viel an Schönheit durch Solymann ver-  
bessert wurde, sie hat vier Kouppels, benebenst noch  
einer, die sehr prächtig in der Mitten steht, und  
von zwölff grossen und dicken Pfeilern unterstützt  
ist.“ porro: Ich sahe auch ausser der Stadt, vor dem  
Thor auf den IVeg, der nach Constantinopel zu ge-  
het, einen Brunnen, welcher oben auf sehr heiss war,  
und nichts destoweniger im Grunde mancherley Fi-  
sche in hatte, welche niemand als halb gesotten da-  
raus sollte zu gewarten haben.“


Cum vero victricibus tandem M. Leopoldi Impe-  
ratoris armis florentissima olim — Metropolis nostra an.  
1686 die 2 Sept. barbarico e jugo liberata exultasset;  
altero mox anno i. e. 1687. mense Junio JACOBUS TOL-  
LIUS \*\*) commoratus Budae de thermis notaverat se-  
quentia: „Versus montem Sancti Gerhardi, thermae  
adhuc integrae sunt, uti et versus Budam Veterem;  
alterae multo nobiliores. Est autem hic posterior locus  
spectatu dignissimus, scaturit juxta viam, e montis  
radicibus fons pellucido pellucidior vitro, profundus et  
adeo copiosus, ut ad alterum viae latus molam circumagat,  
Balneaque aquae frigidae in diruto castello sufficiat.  
Ubi pauxilulum processeris, en tibi fontem aquae bul-

\*) Reisen durch Niederland, Teutschland, Hungarn, etc Nürnberg. 1711. pag. 113.

\*\*) Epistolas itinerarie. Cura et studio H. Chr. Henrici Amstelodami 1700. pag. 300

lientis! cuius fervor illo altero frigido per cananiculum in thermas deducto blandissime temperatur. Aedificium ipsum percommodum est: introeundi namque area statim transeunda est mediocris, quam fons ille fervens perlabitur; tum per januam aliam in ipsum balneum itur, cuius solium, si recte memini, octangulum est, ambulacris et cubiculis undique cinctum, in quibus vestimenta exuuntur. — Fuere etiam aliae extra suburbium, secundum Danubium ad Sancti Gerhardi montis radices thermae, ex parte adversa, sed neglectae jam, corruptaeque; nec tamen ideo vel has adire supersedi.“

Atque haec sunt Thermarum nostrarum historicæ, quæ undique hucdum — collecta, præsentibus nectere admitebamur! —



## Caput II.

Buda \*) Hungariae Metropolis in regni meditullio, sub longitudinis geographicae orientalis 16 gradu, 42 Min. 42 Sec. a Meridiano Parisiensi, vel  $36^{\circ} 42' 42''$  ab insula Ferro computando, latitudinis vero septentrionalis  $47^{\circ} 19' 12''$ , .54 situatur. — Altitudo

\*) De cuius nomine varii varia sentiuntur.

Budam veterem Romae Aquincum fuisse, e precedentibus intelleximus. Hujus nomenclationis causam D. Alex. NEMETH olim - Gubernialis Consiliaris, et Cameralis Praefectus Vcl. Budensis in quinque principalibus aquarum servitorum scaturiginibus detectissae sibi persvasit (vide Schams pag. 66a) nimirum: *Thermarum Pontanarum* (potius aquarum Montis Gerhardi) *Thermarum Caesararum* (potius: aquarum Montis Josephi), *Pontis insulanii*, *Molendinae pulveris pyrii*, et *Krotendorfensis* - Békásmegyeri malom viz - Krotendorfer Muhlbach.

Prætermisso, quae de Sicambria supra adducta sunt, trita de fabella taccebimus (vide. M. Sim. de Keza Chronicon Hungaricum. Edid. Alexius Horányi. Viennæ 1781. Cap. III. pag. 51-s.) secundum quam Atila rex victoria fulgens Sicambriam redux, Budam statrem, qui intermedio absentiae tempore Urbem a suo nomine compellaverat, invidia accensus trucidasse, atque Eandem ia posterum Ethelam - Urbem Atilae - Béclvár nominandam præceptius fertur, unde Teutones quidem obedientes: *Echulbare* - *Ecsilburg* - *Etsellburg*. Hungari vero parum præceptum datum reputant: *Ou-Buda* - *Buda* dicebant Atila non Bleda fuit fratri Atilae nomen? et Atila ipse ab: *Attil* - *Ethyl* - *Etil*. — *Ethel* - *Etel* - Volga fluvio ita nominatus? (vide post Alios. Jos. Aloy. Kereszsturi. Compendium Historiae Universalis. Pestini 1819. P. II. Tomo I. pag. 197.) — Lustremus nunc aliter sentientes:

BONFINIUS opere jam cit. pag. 46. ait: „Buda nova et Buda vetna, utraque Danubii lambitus undis, a Budinis velutissimis Scytharum populis, qui cum Attila Unorum Rego in Pannonias descendebant, appellata.“ —

Huic sententiae adstipulatur:

FATRUS XANTHANUS in Schwandtneri edit. cit. pag. 351. „Illi tamen verius mihi sensisse videatur, qui Bledam non ex suo nomine vocasse Budam affirmanti sed ex vocabulo legionis Budiorum, qui sub ipso militaverunt, et ab illa, veteri, es, quae dicitur nova' Buda nomen accepit.“

WERKHERUS jam cit. pag. 849. punit: nomen Budae Civitatis ob frequentiam thermarum a germanice - *Bad* derivandum esse, indeque *Bada*, tandem *Buda* enatum. —

BELIUS, SCHORWISCHER, ET NICOLAUS JANKOVITS in: Magyar Szó - Nemzés. Pest. 1813 pag. 59. e Slavico: (ob analogiam cum Romano-Aquacum) *Wod* - *Bad* - *aqua* deducunt, unde *Wodina* - *Woda* - *Wudu*, tandem *Buda*, Hungaria. *Budavár* - *Budvár* - *Budavar*, Latinis: *Budvaria*.

Quod ad germanicam attinet nomenclationem.

Arcis super libellam Maris Mediter. est 433 pedum.  
(Juxta calculum D. Fr. ALBERT h. t. Speculae Astron.  
in monte Gerhardi (Adjuncti.)

Est autem regio Budensis vix non tota montosa  
ad tractum danubialem montium Hungariae mediterraneorum spectans, cuius declinationes fertilissimae vi-  
tibus viniferis obsitae, generosum et multum ab exte-  
ris celebratum progenerant vinum, dum terga florae  
ubertate, nemoreque umbroso decorantur. Aura ideo  
saluberrima, vitaque patria dulcissima, amoenissima!

Nec solum vegetis, sed et adversa valetudine pres-  
sis hicce scaturiunt salutis terrenae fontes. Etenim bi-

**ORTELIUS REDIVIVUS** eadem sentit, quae NICOLAUS OLÁH op. cit. pag. 16s. de no-  
mine Buda agens dicit: „nunc a fornis calcis, quae olim ex lapidibus illis  
coquebatur: *Offen* vocant.”

**BALAMON SCHWABIGER** op. cit. pag. 56. ab *Ovo - Aba* Hungarorum Rego (erat Sa-  
muel, tertius Hungarie rex ab an. 1061-44. regnans, a plebo ob pietatem et  
clementiam sic vocatus) Civitatem Badensem *Ovon - Oven - Offen* germanica  
compellatam suisse credit. — Quod si esset? — utique hodie nac Budao Ve-  
teri convenire! —

Volunt quidam Civitatem nostram ob aquas servidas e saxis, quasi fornace,  
profuentes, germanice *Offen* compellari.

**DUGOMITS ABD.** Etelka I. kiadatásában II. k. 174 lapon, a prospectu patenti a'  
nyilt kilátástól germanicum · *Offen* derivat.

**MORVATE STERN.** in opere: Pest szabad királyi Városnak régi *Offen* német nevéről. Pesten 1810. statuit: Pest (radicale Hungaricum) et Klementse synonima  
esset, et inde germanicum *Offen* ambabus Budao et Pestino civitatibus aequo  
jure convenire.

Sed sunt alii, quibus nomen *Pest* o Slavico: *Pescht - Pets*, *Offen* significans  
onatum (Vide. Engel J. Chr. Geschichte des ungarschen Reichs. Wien 1813. 2. B. pag. 89)  
Mox dictorum Auctorum opiniones, quamvis differentes, comprobata videtur  
Articulus a Statutis Badenianis Saecc. XV. conscriptis (enjus communicationem  
in acceptis debemus D. I. PODURADZKY Excolesse Cameræ R. II. Aul. Officii  
Rationarii Ingrossistae, qui Ubium Budensis et Pestensis Historiam fide Diplomatum adornatam, et jam annunciatam edere intendit) sonans: *Die von Kron-  
fels (Kelenfeld-Kreinfeld) von Sant Trinitat. (Landstrass) die von Vibecz (in  
der Ogeud ober Pest) und die von alten Offen yenthalben der Tonaus. (Pest)  
die aus den Lakén, (Büder - ?) und auch bey Sand Jakob (Neustift) seind  
genandt in den prieffen, von der frembder wein wegen, das sie die nicht  
sollen verkauffen, noch leyd geben bey der nechsten püss. Bezelburg (Alt-  
Offen) desgleich etc.*

Super diversissimis his, omni studio conquisitis opinionibus item decidere, no-  
strum — minime est.

nae sunt aquarum mineralium servidarum regiones natales, altera ad urbis meridiem: *Mons S. Gerhardi*, altera ad septemtrionem *Mons S. Josephi*. Ambo hi montes, aliquot nonnisi a ripa Danubii orgiis distantes, extremos constituant fines arcus tractusque jugalis, qui isolatum saxum arcense (Calcareo granulosu - lamellosu constans, et a meridiei - ortu ad septemtrioni - occasum, coeli regionum, excurrens) in semi-circulo ad meridiem, occasum, et septemtrionem ambit, dum undae fluminis orientalem alluant Civitatis limitem protensem.

Memoratorum nunc montium prior, ternarum implet aedium thermalium labra: *Gerhardianarum*, *Pontanarum*, et *Rascianarum*; posterior binis: *Königianis* dictis et *Caesareanis* prospicit.

Antequam tamen singulas Thermae ordine lustrenius, solum, e quo harum propullulant scaturigines, paucis pervestigare pergimus.

Cuncti territorii Budensis MONTES pro parte maxima constant: Calcareo, interserto nonnullis in locis Arenario diversi grani.

Inter MINERAS METALLICAS non alias, quam paucum Ferrum reperies, quod olim — in monte, *Hársfa - hegy - Klein Lindenbergs*, inter occasum et septemtrionem civitatis situato, fodicari cooperat.

EX INFLAMMABILIBUS paucos ante annos Christinapolii (in suburbio ad occasum sito) dum putei fodorentur: Strata Lithantracum, Argillae communi schistosae interposita, reperta; cell. vero Kitaibel Pyritem Sulfure divitem, fissuras calcareas montis Josephi explentem, se invenisse adsfirmat.

AQUIS MINERALIBUS multis et variis Buda abundat: Aquae puteorum vix non omnes Nitro divites; sunt quoque Salsae, Salem amarum foventes in suburbio: *Via regia - Ország-út - Landstrass*, et inter vi-

neas Budenses versus *Buda-Eörs*; Salem mirabilem *Glauberi*-Sulfatem natri tenebant *paludes*, (anno 1819 in Danubium derivati) quoque inter vineas Budenses, intermedie inter *Promontorium* et *Buda-Eörs* situati.

Supersunt *Aquarum calidarum scaturigines*, quarum singulas specialius nunc recensebimus:

### **Aquae calidae inferiores.**

(Cunctae in Suburbio Rascianico-Taban)

#### **I. Thermae Gerhardiana e.**

##### **Sáros Fördö-Bloksbad.**

Extimus australis limes Civitatis Budensis, ut dictum, praealta est rupes: Mons S. Gerhardi, et e vicino pago Promontorio venientibus, vixque telonium transeuntibus, patent thermae pro themate habitae. De his STOKER fabellam a senibus Rascianis sibi narratam, ut notatu dignam adducit: „eas nimirum tempore Turcarum, cum ob insolita in profligandis morbis quotidiana experimenta, e regionibus etiam dissitis maximus esset ad eas confluxus, tandem de dono Dei gratis dato, lucri causa, male nati curatores pecuniam exigere coepissent, sicque pauperibus et vilioris sortis hominibus janua ad thermas praeccluderetur, ex improviso corruente aedificio, in posterum sepultas fuisse.“

Dum autem Buda, victricibus Augustissimi Imperatoris Leopoldi Magni armis, in Hungarorum pristinam tandem pervenisset potestatem, thermae hae, tunc *Virginea-e-Szüzek Fördö-Jungfraubad* dietae, die 3. M. Martii an. 1687 Frid. Ferd. Illmer de Wartenberg Med. Doctori et Archiatro a praefata Majestate clementissime dono datae, et necessariis soliis

aedificiisque instructae fuere. Donatario fatis cedente, filius ejus Carolus an. 1718 ipsi L. R. Civitati vendidit, \*) a qua collapsae, denuo restauratae tenebantur, donec vigore Magistratalis Determinationis ddto 1 Sep. an. 1809. licitatione mediante Stephanus Sagits (civis electus et t. tp. Communitatis G. R. non Unitorum Tabaniensis judex) obtinuissest. Possessore hoc defuncto Joannes Sagits vi dispositio- nis testamentariae, et initiae amicæ conventionis cum Stephani filia Julianna, nupta Radits, titulo haereditario die 11 Aprilis anno 1812 acquisivit. \*\*)

Aedes prout nunc exstant thermales, unius contignationis, non multum nobiles, sequentia continent labra :

*Pretium.*

a)	Balneum commune	- - pro persona	2	xr. V.V.
b)	Balneum lapideum minus	dto	24	- -
c)	Balneum lapideum minus	dto	24	- -
d)	Balneum lapideum minus	dto	12	- -
e)	Octo lavacra lignea in tractu superiori	30	- -	-

Quinque CUBICULA sine defixo pretio.

Propria et unica his thermis est scaturigo, fornice lapideo munita, quae per canalem ducta intra aedium ambitum aquilegio oblongo-quadrato capitur, ex quo antiae ope lavacra lignea, ipso vero defluxu labra lapidea replentur, et ex his denuo communem in rivulum canale clausum confluens, arcte ad ripam fluviis constructum inundat stagnum, equis morbo adfectis destinatum.

Gradus caloris rivuli ad Balneum commune flueuntis est. 37° Reaum :

\*) Miller op. cit. pag. 121.

\*\*) Ex actis Urbaniatus Officii Civ. Bud

Molis aquosae quantitas, intra defixum tempus profluens, nondum definita.

Deponunt autem aquae secus limpidissimae *lutum thermalem* (necdum chemice investigatum) praedecessoribus et coaevis dolore artuum, ulceribusque infestatis sacram anchoram! —

## II. Thermae Pontanae.

### Rudas Fördö - Bruckbad.

Ab nunc recensitis thermis, recta via regionaria, arcta que inter Danubii ripam, et domorum pedi montis adsitarum seriem septemtrionem versus procedendo, restauratas has conspicies aedes thermales. Omnibus, quae obscure sat de thermis apud antiquos haberi vidimus, perpensis, minime a vero alienum putamus, (si illae sunt, quas praeter regias Oláhus recenset) eas esse thermas Pontanas, quae jubente Solimanno ex aedibus Archiepiscopi Colocensis (Petri Frangepan) constructae, et per Bassam Mohamedem Dervisarum coenobii auctae fuere.

Post Budae revindicationem Administratio Caes. Reg. Cameralis usumfructum ex his thermis provenientem cessit ipsi Civitati, cui dein, dum an. 1703 jure postliminii restituta exstitisset, a Leopoldo Impe. et Regé per benignum Privilegium collatae fuerunt, \*) a quo tempore in hodiernos usque tenet dies, vel proprie eas administrando, vel in censem dando.

Thermae hae: Regiae primae-Communes-Civiles-tandem Pontanae, a ponte naval i mobili, qui usque an. 1711 hicce trajectum fecerat, appellatae, ob copiosum huc balneantium adfluxum saepius jam

\*) Miller pag. 123.

amplificatae, tandem an. 1831 cura D. D. FRANCISCI  
ÖFFNER Civitatis hujus Consulis, et JOSEPHI RATH Ci-  
vis electi, et t. tp. Tribuni Plebis noviter restaurari  
cepere, nuncque omni ex parte illustres cernuntur,  
continentes:

*Pretium. in V.V.*

fl. xr.

a)	Balneum commune - - pro persona - - -	2
b)	Quinque balnea lapidea cum apody- terio - - - pro 1-2 personis - - - -	24
	si plures a 3 computando quaevis - -	6
c)	Quatuor balnea lapidea sine apody- terio - - - pro 1-2 personis - - - -	12
	si plures pro quavis - - - - -	6
d)	Tres Sellae vaporariae pro haemorr- hoidariis - - - pro persona - - - -	6
e)	Triginta Lavacra lignea — — — quorum pre- tium diversum januis cubilium ea continentium inscriptum.	
f)	Praeter Salam, Cavenam, CUBICULA vigin- ti quatuor, quorum alia pro 1 fl. 30 xr. alia pro 1 fl. dietim inhabitanda.	

Aedibus thermalibus adnexa est porro domus uni-  
us contignationis majori balneantium commoditati in-  
serviens, nec non Forum his obversum, vallis nunc  
cingendum, platanis umbriferis, floribusque ornandum.

De praesenti porro Fons lapideus in Aedium  
thermalium areae majoris angulo meridionali-occiden-  
tali exstruitur, qui pro Usu quoque interno venas  
servidas e castellis venientes susceptas fundat, — du-  
dum enim intra balneandum vulgus has aquas biberat.

Quinque autem his thermis sunt aquarum sca-  
turigines castellis cinctae, quaeve cunctae intra aedes  
ipsas aquilegio captae in labra devolvuntur, et ex his  
denuo ampio sat canale collectae, sellis vaporariis pro-

spicientes, tandem impetu valido rotam antliae impellunt, quae ad temperandum aquarum calorem undas danubiales in ampla aquilegia murata colligendas ad notabilem altitudinem ascendere facit.

Gradus caloris memoratarum scaturiginum variat inter 35 — 37 gradum Therm. Reaum.

Memorari hic meretur Tofi concrementum ingentis molis ad canalem, aquas in Balneum commune ducentem, formatum, actu in dies increscens.

### III. Thermae Rascianae.

#### Rácz Fördö-Raitzenbad.

Dum Mons Gerhardianus saxosa, praeruptaque sua fronte ad mox descriptas thermas septentrionem tendere cessat, praecipiti sua declinatione occasum petente in vicinia Ecclesiae G. R. n. U. novam suppeditat aquarum molem, thermis nunc lustrandis dicatam.

Ab immortali Hungarorum Rege Matthia Corvino hic loci amplissimas, nulla sumtuum parsimonia, vereque regias exstructas fuisse thermas, nec a Turcis succendentibus spretas, nil est, quod dubitemus.

Eliberata dein e jugo Ottomannico Buda, Altetitulatus jam Imperator et Rex aedes has cum cunctis adpertinentiis an. 1696 die 26. mensis Martii Joanni Pergasi, e Babylonia oriundo, ejusque prolibus gratiosissime contulit; quo mortuo, filia Maria Dominica Josephi de Gillig (Districtus Budensis Provincialis Commissarii) sponsa circa annum adhuc 1760 possessionem tenebat, donec haec ipsa cum filio Ignatio et condidientibus Francisca Baronessa de Wilisek, Catharina de Duhek an. 1774 die 22 Decembris Marco Zagler vendidisset, cuius haeredes et hodie tenent.

Aedes, vix multo Gerhardianis nobiliores, sequentia continent solia:

*Pratum.*

- a) Balneum commune - - - pro persona 2 xr. V.V.
- b) Tria balnea lapidea cum  
apodyteriis - - - pro 1 - 2 personis 24 — —  
si plures, pro quavis 12 — —
- c) Quinque balnea lapidea  
sine apodyteriis - pro 1 - 2 personis 12 — —
- d) Quatuor hic sunt CUBICULA sine defixo pretio.

Thermarum harum scaturigo in imo montis viscere abscondita est. Unda omnis aquilegio profundo (ad quod per vestigandum occasio defuerat) capta, pro parte solia inundat, pro parte vero non usuata, cum rivulis e prioribus defluentibus, in canalem Christinapolii venientem cadit, Danubio tandem miscenda.

Quantitas ejus nondum definita.

Gradus caloris est 38 graduum Ther. Reaum.

Hic quoque Canales Tofo copioso superinducuntur.

### Aqua e calidae superiores.

#### IV. Thermae (a possessore) Königianae.

##### Király Fördő - Königsbad.

A thermis inferioribus contra torrentem Fluminis septemtrionem versus procedens ad sinistrum plateae principalis (in confiniis Suburbiorum Aquaticae et Viae regiae) hasce aedes eleganti stylo constructas intueris thermales, olim - jam docente WERNHERO: Hospitales appellatas.

STOKER narrationi a senibus Rascianis sibi factae fidem habens, thermas has ab Hussem Bassa (infidelitatis causa dein fune strangulato) e fundamento

in sublime deductas refert; — si non potius eaedem illae sunt, quas ISTVÁNFI nomine *inferiorum* a Bassa Mustapha exstructas docet. —

Recuperata Buda thermae hae — Xenodochiales — per Augustissimum Regem LEOPOLDUM pariter Frid. Frd. Illmer de Wartenberg clementer collatae; dein vero a filio ejus Carolo an. 1703 die 2 Septembris Excell. D. Joanni Frdo. L. B. a Pfeffershofen venditae fuere. Illo e vita decedente, relicta vidua Olympia Catharina Comes a Magni an. 1718 Leonardo Aigner emtori cessit, \*) post cujus haeredes an. 1768 Michaël Birisits, et an. 1796 Franciscus König tenebant. Tandem mortuo illo Carolus et Michaël fratres aequali jure haereditatem possidebant, donec prior omni suo juri renunciasset, fraterque alter Michaël König modernus possessor evasisset, \*\*) qui an. 1826 e fundamento aedes restaurans, binas aedium condidit areas:

E minori, plateae principali contermina, introitus patet in: Pretium.

a) Balneum commune - - - pro persona 3 xr. V. V.

b) Quatuor labra lapidea

    cum apodyteriis - - - pro 1 pers. 10 — M. C.

        — 2 — 12 — dto

        si plures pro singula 6 — dto

Area major, tecto ambitu columnali circumcincta, arboribus, floribusque amoena, recondit: in tractus, areas dividentis, angulo septemtrionali-orientali:

fl. xr. M. C.

c) Quatuor balnea turcica

    lapidea - - - - - pro persona — 4 dto

in tractu semptemtrioni obverso:

\*) Miller pag. 122.

\*\*) Ex actis Urbanius Officii Civ. Bud.

*Pretium.*

fl. xr M.C.

d) *Quinque lavacra cuprea pro persona — 24 dto  
pro usu quotidiano per mensem integrum 9 48 dto*

e) *Octo lavacra lignea — pro persona — 12 dto  
pro usu quotidiano per mensem integrum 4 48 dto*

*in tractu meridionali :*

f) *Duo labra marmorea: *Palatinale et Fer-*  
*dinandeum*, fonte saliente, apodyte-*  
*riis eleganter instructis, ornata*

*pro 1 — 2 personis — 24 dto*

*In fronte aedium, superiorive contignatio-*  
*ne, ad plateam principalem sunt :*

g) *Quinque CUBILIA mag-*

*na — — — — pro quovis dietim — 48 dto*

h) *Quatuor minora — dto — 36 dto*

*in aula majore itidem :*

i) *Quinque — — — — dto — 30 dto*

k) *Quinque — — — — dto — 24 dto*

*in tractu aulas dividente :*

l) *Tria cubilia cum adper-*  
*tinente culina — insimul dietim 1 24 dto*

m) *Duo separata pro servis pro singulo diet. — 10 dto*

*Supellectilium genus, pro pretio diverso, varium  
omnimodae commoditati adaptatum.*

*Inquirendum nunc in scaturiginem thermarum no-*  
*strarum. — Minime etenim haec in Civitatis meditul-*  
*lio natali prosilit ex antro, ut supra nunciatum; ve-*  
*rum eandem cum mox memorandis, e visceribus mon-*  
*tis Josephi agnoscit originem. Non procul ab hu-*  
*jus pede, in horto quondam Domini de Rittershaim,*  
*nunc vero prato ad fundos coronales spectante, et pro*  
*vestimentorum lineorum dealbatione destinato, sote-*  
*rium hoc fluidum profundo ex antro murato \*) for-*

\*) In quo crustas crystallinas Selenitis, formici iuhescentes collegimus.

nice obtecto promanat, quod aquaeductum pedalis circiter luminis subintrans ad 1000 orgiarum distantiam labitur, donec in vicinia aedium thermalium vetustum aquarum castellum impleat, sicque in labra defluat balinarum.

Aestimatur autem copia adfluentis undae intra 24 horas prope ad 800 urnas.

Incongrue nonnulli Auctorum has thermas speciatim Purgatorium appellavere: ob nimium quarumdam seaturiginum fervorem — an quis in antememorato antro fornicato distinctas investigabit fervidas venas? Calet autem latex aquosus ibidem collectus ad gradum 48 Therm. Reaum. et longo licet intinere confecto, in ipso ad balneum commune lapsu thermometrum grd. 37 indicat; unde necesse in labris marmoreis et vasibus fervorem frigida temperare unda, quam, salinis partibus instructam, — hic loci puteus profundus mirre constructus suppeditat.

Hic quoque Fons est e marmore constructus, a quam pro usu interno comprehendens.

## V. Thermae Caesareae.

### Császár Fördő-Kaiserbad.

Recta ab nunc lustratis aedibus per plateam principalem progrediendo, dum in viae regionariae medio muratum aquarum castellum terra coopertum, et dextra molendinas caesareas, sinistra vero ad ipsum montis pedem aquilegium amplum muro cinctum (de quo inserviunt plura) intuitus fuisses, ad quintum hoc aegrotantium pertinges salutis asylum.

Longe olim hic loci aedes thermales fuisse, e conspectu historico Cap. I. intelligere licuit; specialia vero data circa has thermas colligere adusque et tempus

et occasio deficiens vetuit. Scimus ambitum thermarum harum olim territorium S. Trinitatis, temporibus vero jugi Ottomannici referente STOKER Wallibek nominatum credimus. — Illud constat: Thermas has, post Budae revindicationem regias majores compellatas, ad rationes Aerarii Regii Imperatoris LEOPOLDI I possessas, et dein per Caes. Reg. Cameram administratas fuisse. Anno autem 1702. die 24. M. Januarii Administrati Caes. Reg. Cameralis easdem cum omnibus appertinentiis Joanni Ekher civi et halneatori vendidit, cuius filius Joannes Michaël (Civitatis Budensis Senator) circa an. 1760 adhuc tenebat. \*) Ad initium dein saec. moderni Excell. Comes Stephanus a Marczibány, ut fundo perpetuo Nosocomium F. F. Misericordiae Budae erigendum instrueret, et thermas et molas emit, conventuque nominato donavit. Ab hoc tempore Aedes thermales suepius amplificatae et ornatae notabilem nunc censem annum Conventui suppeditantes, binas quoque areas complectuntur.

Ex illa minore introitus patet in: *Pretium.*

a)	Balneum commune	- pro persona	3	xr.	V.V.
b)	Balneum sociale lapideum	dto	9	—	—
c)	Quatuor Balnea lapidea	dto	9	—	—
d)	Tria Balnea lapidea turcica	—			
		pro 1 persona	30	—	—
		— 2 personis	45	—	—
		— 3 — —	60	—	—

#### Ex areae majoris

tractu meridionali, in:

- c) Octo Balnea lapidea - - - - ut praecedentium.
- f) Balneum Palat. lapid. - pro sing. pers. 30 xr. V.V.  
e tractu orientali, in:
- g) Sept. lavacra lignea in contignat. dto 50 — —
- h) Septem lavacra lignea inferius dto 30 — —

In tractu aedium meridionali sunt:

\*) Miller op. cit. pag. 122.

## i) Viginti sex CUBICULA

In tractu occidentali:

- k) Sex cum fenestris ad viam regiam }  
 l) Sex — — ad hortum }  
 m) Decem pro servis - singuli per diem 60 xr. V.V.  
 Suppellectilium genus varium.

Pretium varium  
non defixum.

Sunt aedes ampliae in areae majoris tractu occidentali **Cavena** et **Ambulacris** (Terrasse) provisae; arbores porro excelsae dimidium areae hujus inumbrant, unde aditus ad orientalis aedium frontis **Ambulacra**, prospectusque exhinc in Danubium praeterfluentem, Insulam Leporum - S. Margarethae, et remotas Civitatum Budensis et Pestiensis extensiones patet. Ex area minori itur in Hortum nunc magis ac antea cultum.

Ambitus thermarum caesarearum magno sat gaudet scaturiginum numero, quarum aliae fervidae, tepidae aut plane frigidae aliae. E prioribus tres sunt, quae altius sitae in labra devolvuntur, suntque: **Scaturigo fontis**, **Scaturigo** in ipso Balneo communi, et **Scaturigo** penes viam regiam, \*) tres vero aliae, quae profundius promanantes antliae ope in usum adhibentur, ut: **Puteus lotricum - Vaschbrunn**; **Puteus** ad molendinam thermalem, et eadem in serie penes Danubii ripam; **Puteus** pro lavacris ligneis. Postiores ad temperandum priorum fervorem adhibitae, numero sunt duo, altera ad novi aedificii angulum, (olim aquilegio patenti, nunc fornice obtecto, contenta) altera penes viam regiam exorta.

\*) Quae receptaculo quadrangulo e tegulis constructo, semialteramque orgiam profundo capit, et canali lapideo per hortum ducto in Balnea lapides sub C devolvitur. — De hac Scaturigine probe notandum (enjus jam Stoker meminit) quod occasione repurgationis hoc anno suscepta, *Concrementa chrysostallina Sulfuris* purissimi, intermixtae *eleniti* & *Kollis* solitariis, et hujus cruxis ad plurimum librarium pondus reperta fuerint; de quibus speciosum exemplar in Museo naturali R. S. U. asservetur, praetor plura minora Specabilibus D. Fucult Med. Professoribus a nobis oblatas.

Ipsum Aquilegium magnum (Nymphaea thermali et piscibus refertum) undis, profundo ex antro iuina montis viscera protenso, impletur, quarum defluxu perenzi molarum caesarearum rotae impelluntur. Sunt porro, praeter jam memoratum in viae regiae medio Aquilegium minus aqua tepida plenum, duo Putei aquam servidam tenentes, quorum unus, extra aedium thermalium frontem meridionalem situs, lotioni vestium, alter thermis vulgo: *Luckerbad*, uno labro lapideo, et duobus lavacris ligneis constantibus, (in vicinia scaturiginis thermarum Königianarum) inservit.

Non obstante eo, quod tantus sit scaturiginum calidarum numerus, tamen et Puteos complures aquam frigidam tenentes reperies, prout in ipsarum aedium thermalium ambitu areas nectente.

Ingentem illam montis Josephi aquarum molem, vix calculo aestimandam, mox vidimus thermas Königianas inundare; et quantus est urnarum numerus labra nostra continuo implens? quantus non torrens molarum impellit rotas? quanta demum unda non usuata praeterfluenti miscetur Danubio? ast — cessat tantis usibus dicatus thesaurus, quamprimum libella Aquilegii memorati (cujus verus Auctor plane ignoratur) renovationis scopo, cataractis ad fundum solutis, dehiscit, — prout hoc quoque anno factum. Meminit quidem similis eventus jam suo tempore STOKER \*) illud tamen recentius observatum: non solum praementionatos defectus per derivationem aquarum exori, sed, ea longiori tempore durante, ipsam quoque in thermis Rascianis et Pontanis scaturiginum uber-

\*) Cujus causam op. cit. pag. 57. sequentibus attingere admissus: „Scaturiginis revocatio, quae non nisi multum ultra mediastom repleta piscina succedere deprehensa est, non veno est argumento, aquarum in antris petrae contenaturum liberi exitus ab accumbentibus in piscina aquis praeclosi, indeque in

tatem imminui. — Hujus asserti veritatem, autopsia, hoc anno, postremis in thermis abunde nos docuit. Tandem et memoria tenendum: ipsam Aquilegii nostri libellam subsidere tunc, dum Stagnum Tatense (*Tata, Totis*) ad siccum derivatur.

Oportet nunc succinctam aquae soteriae historiam attingere.

Accidit, cum ante memoratus Excellentissimus Thermarum harum Possessor de augendo balneorum numero solitus, scaturiginem, lavandis unice vestibus adusque adhibitam, istum quoque in scopum convertere cogitaret, ut remota undique terra, amplior hujus ambitus claustro murali cinctus, et frusta majora canalium ligneorum, aquam abhinc ducentium, reperta fuerint, simulque ad rudera aedium isthie olim positarum perventum est, manifesto usus prioris indicio. — Cum vero post repurgationem aquae limpidae cernerentur, casuali, audaci usus interni tentamine inclarerent. — Quare per Excelsum Consilium R. L. Hungaricum Commissio Medica gratiosissime exissa, ut scientia et sincero veri studio fundatam de re doctrinam, aequumque proferrent judicium. Ex Commissionis itaque membris D. D. Schraud, Pfisterer, Csch - Szombathy, Winterl, et Kitaibel, postremis his binis, Chemicis expertissimis, partium has aquas componentium, impositum fuerat indaginis munus; ita quidem, ut primum seorsim investigarent aquas, propriisque artificiis in discernenda earum elementa pervenirent; dein autem communiter examinarent educta cujusque, si quam forte nacti essent sententiac diversitatem, eam collatis inter se, aut repetitis expe-

---

mentis caverna stagnantium intumescentiae, que mediante successive acrecentes praedictos, sublimiori loco positor, aquas ductus ad thermas protensos assequuntur, hique denso per eundem ad praefixa lebra indecessos volvunt latices, quod pauciori aqua in piscina restauante, ut pole tantum irruentum aquarum impetum coercendi impotenta, fieri non potuisse.”

rimentis exaequarent, atque ita tandem resultatum, consentientibus utriusque criteriis, congruum in publicum proferrent, quod et Capite III sub V adductum habetur.

Receptaculum dein, quod aquas scaturientes colligat, e marmore exstructum est. Huic superius canaliculus 9 circiter poll. quadrat. nexus, quem plene aquae perennes in defluxu et hodie explent. Hinc ubertatem scaturiginis notabilem videre est, cuius tamen libellam, tempore derivationis Aquilegii immotam hoc anno perstisset, observare minime licuit, prout hoc Commissio Medica asseruit. — Juvabit praeter aquarum harum ubertatem, caeteros quoque characteres physicos paucis commemorare:

Emittunt bullas copiosas, speciem ebullitionis excitantes.

His non obstantibus sunt limpидissimae et excolores.

Odor cis est manifeste sulfureus seu hepaticus, nec tamen intensus.

Sapor, ut non paucis videtur, debilissime acidulus.

Calor Mercurium Thermometri ad gradum + 46 Scalae Reaumurii, imo et ultra elevat.

Sedimentum in receptaculo ad margines libellae, et in canale ad latera depositum Tofus est; lapides vero, per quos labuntur, Ochra obduci dicuntur. —

Usum aquarum harum internum, multum omnino salutarem, experientia evictum; — data tamen, valido judicio medico consignata, tam de his, quam de caeteris thermis Budensibus, proh dolor! desiderantur.

Memoratarum scaturiginum servidarum in thermis nostris varius est caloris gradus, varians inter 46 — 51 Therm. Reaum.

\* \* \*

Nec praeter videndae sunt et caeterae territorii Budensis Scaturigines fervidae.

Harum prima in Danubii acervo arenoso supra insulam Margaretha versus Pestensem ripam prorumpit. Sunt autem plures venae hinc inde conspiciendae, odore sulfureo insigni praeditae, quod Sulfur et ad margines fovearum scaturigines circumdantium colore suo nativo in crustis arena compactis se collectori sistit. — Olim hic gradus e lapide secto fuisse, constat, — quis vero eos primus posuerit? — an torrente fluminis nunc ablati, vel arena tecti sint? — hoc privato inquirere et determinare arduum esse, magis perspectum est, quam ut commemorare necessum foret.

Ager vero Vetus-Budensis secundarum scaturiginem natale sistit solum. Quot non praeterire saecula ab eo tempore, quo Aquilegium firmissimum constructum est? — in cuius fundo, si recte meminerimus, septem in locis perenni quasi ebullitione fervidae prosiliunt venae; in altum sic collectae aquae lapsu suo rotas molendinae, pro parando pulvere pyrio destinatae, circumagunt; canale denuo secundum ruderum vetustissimorum decursum ductae, supra oppidum memoratum stagno coërcentur, ut rotas molarum: *Krempeliana* et mox alterius: *Klingelmayeriana* in motum ponant. Donec tandem moles aquosa ceptum versus Danubii ripam iter prosequens, rapidis hujus misceatur undis.

Tertia in demum aquarum calidarum scaturiginem, in vicinia Pagi: Békásmegyer-Krotendorf profluentem, quamvis jam olim nobis notam, nunc tamen penitus per vestigandam diversa et multa impedivere.

---

## Caput III.

**Q**uod medicamentorum cunctorum ad corpus humanum relatio magna ex parte determinetur per partium constitutivarum Chemia duce demonstratarum qualitatem ac quantitatem; quodque Pharmacologiae studium indissolubili cum Chemia vinculo, non absque totius Medicinae detimento, junctim pertractari debeat, neminem certo latebit; quandoquidem summi nostri aevi pharmacologi, — vere scientifice, — pharmacorum seriem systematicam, partium constitutivarum cognitioni inuixam, ordinare minime vereantur.

Multum itaque intersit Medico, curam rationalem aquis soteriis instituere volenti, harum quoque partes constitutivas, analyseos chemicae ope erutas, nosse. — Quare praesentibus resultata tentaminis chemicae aquarum nostrarum et vetustissima et recentissima undique collecta ordine dabimus:

I. **LAURENTIUS STOKER** adhibitis variis suo tempore (1721) usitatis artificiis spagyricis, generatim sequentes statuit thermarum Budensium partes constitutivas:

,, *Sulfur commune et metallorum - halonitrum et nitrum calcareum - alumen - lapidem calcareum - terram bolarem de natura lapidis calaminaris - bitumen - spiritum mineralem acidum - oleum ejusdem sere qualitatis - sulfuris et bituminis foeturas - salem gemmae seu salsum - aurum - ochram seu vitriolum immaturum - et salem alcali seu urinosum.*“

**s p e c i a t i m** vero:

,, *Thermas sub monte Gerhardi ingreditur: sulfur copiosum, hinc nitrum, ochra seu vitriolum immaturum, lapis calcareus* circiter ut unum ad sex-

ginta, nonnihil de *sale alcali* praeter propter ut unum ad centum, *acre bitumen* et *salis communis* parum.“

„Thermae Civiles multum recipiunt de *lapide calcareo*, ut unum fere ad triginta, hinc de *sulfure* et *bitumine*, *nitro calcareo*, *spiritu* et *oleo acidis* pauciorem quantitatem, de *alumine* et *nitro tam calcareo*, quam *halonitro*, et tantillum *salis communis*.“

„Thermae Rasciana multo turgent *nitro calcareo* et *bitumine*, pauciore *sulfure*, cui accedit *ochra*; *terra bolaris calcarea de natura lapidis calaminaris*, circiter ut unum ad septuaginta, et *sal quoddam acidum* valde penetrans paulo minoris ponderis.“

„Thermae Caesareae *sulfur* bibunt satis purum *aureae indolis*, constant *marga de natura lapidis calaminaris satis copiosa*, ut unum praeter propter ad triginta quinque, *bitumine de natura asphalti*, *spiritu acido esurino*, *sale communi seu gemmeo* lentissima evaporatione, aliisque manipulationibus adinvento, circiter ut unum ad centum sexaginta, *nitro tam calcareo*, quam *halonitro* copioso, *ochra* et *pyrite anreeo* et *lapidescente*.“

„Thermae in civitate aquatica ingredientibus fere modo dictis, scilicet caesarcis correspondent.“

II. L. B. KRANZ cunctos Austriae fontes altissimo S. C. R. Majestatis Mariae Theresiae intimato conformiter investigans (1772) sequentem dederat aquarum Budensium analysisim:

„1) *Saturigo montis Gerhardi.*

a) *Spiritus sulfureus* — Erös kénköves spiritus — *Ein herrschender Schwefelgeist.*

b) *Terra calcarea martiali sociata* — Meszes föld, kevés vas részetskékkal kevert — *Kalk-Erde mit sehr wenigen Eisentheilchen.*

- c) *Alia Terrae species acidi nitrosi unionem respuens* — Egy más föld, melly a' Salétronnak savanyúságában fel nem oldoztatik — *Eine andere Erde, die sich in der Salpetersäure nicht auflösen lässt.*
- d) *Sal muriaticus* — Több közönséges só — *Mehr muriatisches Salz.*
- e) *Sal amarus* — Mind keserű só — *als Bittersalz.*
- „ 2) *Scaturigo montis Josephi.*  
 a) *Spiritus sulfureus* — Erös kénköves spiritus — *Ein herrschender Schwefelgeist.*  
 b) *Sal alcalinus terrae martiali junctus* — Alkali föld, melly vas részetskékkel bővelkedik — *Ein alkalisches Salz mit Eisentheilchen.*  
 c) *Sal mirabilis Glauberi* — Glauberumi tsudálatos só — *Glaubersches Wundersalz.*  
 d) *Sal muriaticus* — Közönséges só — *Muriatisches Salz. \*)*

III. JOSEPHUS M. OESTERREICHER 1781 methodum analysandi cell. tunc Chemiae Professoris Winteri secutus, determinatum *volumen-mensuram aquae investigandae* Cantharo - 100 poll. cub. anglicis, (4 minoribus, totidem hungaricis) singularum autem partium constitutivarum *quantitatem* numero designaverat Calculo. — Horum, ut facilior sit conspectus, cuncta solerter excerpta, praesentibus tabellari exhibemus forma:

\*) Terminii hungarico-germanici desunt ex opere: La Lanque János. A' magyar országi orvos vizekről, és a' betegségekben szokkal való elásnak szabott modjáról. Nagy Károlyban 1785.

Aëres

Sales, ordine, quo crystallisantur.

Aëri sibi ope soluti  
teneantur.

Nomen

Thermarum.

Aër fixus.

Aër Scheelii.

Pbliston.

Aër hepaticus.

Aër vitriolicus.

Aër putridus.

Tofus granulosus.

Selenites pyriticosus.

Terra invitriolabil.

Sal amarus.

Sal mirabilis.

Sal communis.

Magnesia salita.

Terra exilabilis salita.

Mica argillacea.

Argilla Phlogisti ope soluta.

Pyriticosa  
sive  
rum

Ferri  
vestigio.

Magnesia.

Extractivum.

	Poll. Cub.	G r a n. a.	G r a n. a.	G r a n. a.	G r a n. a.	G r a n. a.	G r a n. a.	G r a n. a.	G r a n. a.	G r a n. a.	G r a n. a.	G r a n. a.
Caesareæ . .	3 3	2 $\frac{1}{4}$	$\frac{1}{16}$	vest.	--	2	2 $\frac{1}{10}$	$\frac{1}{4}$	--	3 $\frac{1}{6}$	3 $\frac{1}{2}$	$\frac{1}{2}$
(sprenserianæ) Königanae . .	3 $\frac{1}{4}$ $\frac{1}{2}$	3	$\frac{1}{16}$	vest.	rest.	--	2 $\frac{1}{4}$	$\frac{1}{3}$	$\frac{1}{6}$	--	8 $\frac{1}{10}$	3 $\frac{1}{11}$
Rascianæ . .	27 $\frac{1}{2}$	2	$\frac{1}{16}$	vest.	--	--	3	7 $\frac{1}{4}$	1	6	8 $\frac{1}{2}$	6 $\frac{1}{2}$
Pontanae . .	3 8	2 $\frac{1}{4}$	$\frac{2}{640}$	vest.	rest.	rest.	4	8	$\frac{1}{40}$	--	9	4 $\frac{1}{3}$
Gerhardianæ.	3 $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$	$\frac{2}{16}$	$\frac{1}{16}$	vest.	+	+	1 $\frac{1}{4}$	8	$\frac{1}{2}$	--	8	4
Fons insulanus.	4 $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{2}$	$\frac{3}{4}$ $\frac{1}{16}$	vest.	rest.	rest.	--	1 $\frac{1}{10}$	--	$\frac{1}{8}$	5 $\frac{1}{5}$	3 $\frac{1}{3}$	$\frac{1}{300}$

IV. CHRISTOPHORUS MAYR, \*) 1798 in serie thermarum hepaticarum Hungariae, sequentia adducit nostratum principia constitutiva: „Copia ingens aëris fixi et hepatici — hepar sulfuris calcareum — terra calcarea copiosa in tophum concrescens — sal alcali minerale — sal amarum — sal commune — et aliquid ferri.“

V. Analysis aquae soteriae thermarum Caesarea-rum instituta anno 1804.

	Winterl.	Kitaibel.	Media proportio.	
	in 100,000 gr. vol.	in 100,000 gr. vol.	in 100,000 gr. vol.	in 23.000 gr. vol. seu mensura pestdos
Proportio in granis expressa.				
Gas acidum Carbonicum	52,96	46,31	49,76	11,49
Gas Hydrogenium sulfur.	—	0,42	4,20	0,928
Natrum sulfuricum	50	55,64	52,82	11,2
Calcaria sulfurica.	2	4, 3	4,30	0,99
Natrum muriaticum.	25,96	16,846	20	4,62
Magnesia muriatica.	10,57	11,768	11,16	2,57
Calcaria carbonica.	40,38	38,79	39,58	9,14
Magnesia carbonica.	Tofus Granulosus	5,66		1,307
		10,62us- que 10,76	10,62	2,452
Silica		4, 9		
Tofus secundarius.	13,46 usq. 13,65	—	15,65	3,15
Ferrum carbonicum.	vestig.	vestig.	utriusque et 20 gr. Terrarium gr. 4/32	—
Alumina.		—		—

\*) Dispensatorium universale. Vienne et Lipsie 1798. pag. 393.

( Tabella praesens ex opusculo DENHOFFERI, Commissionis Medicae Dissertatione, et Hydrographicis KRATIBELI constructa ac excerpta.)

VI. Superest, ut eam singularum thermarum Budensium Analysim obtutui sistamus, \*) cui, mox sub III. adductae, Chemiae h. t. cell. Professor SCHUSTER (in defectu exactioris, recentissimisque Chemiae principiis conformiter instituendae) systematicam nunc terminorum nomenclationem indiderat, partium constitutivarum proportionibus insuper ad calculum decimalem reductis.


	In 100 poll. cub. anglicis.	Th. Casatiene	Th. Koenig- nae	Th. Rascianae	Th. Pontanae	Th. Gericard- iane
Pollices cubici.						
Gassa.	Acidum Carbon.	33	34,5	27,6	38	32,5
	Hydrogenium sulphuratum	vest. 2,25	vest. ,3	vest. ,2	vest. 2,25	vest. 2,75
	Oxygenium					
G r a n a.						
Silia.	Sulphas Natri	3,2	8,1	8,58	,9	8,66
	Murias Natri	4,5	3,8	6,5	4,2	,8
	Murias Magnesiae	0,5	0,8	0,16	3,5	,4
	Sulphas Magnes.	—	—	,6	—	—
Terre.	Carbonas Magn.	2,6	2,6	10,56	5,54	0,92
	Carbonas Calcar.	,6	,5	3,1	5,5	,10
Metalla	Sulphas Calcar.	2,1	1,66	7,25	,8	,8
	Argilla	0,1	—	—	0,11	0,08
	Silica	0,94	1,03	1,37	0,72	1,02
	Ferrum	vest.	—	—	vest.	—
	Extractivum	$\frac{1}{350}$	$\frac{1}{300}$	$\frac{1}{150}$	vest.	0,25
	Gelatina	—	—	—	—	multa

\*) Vide Schamsii et Szepesházi opera.

Quaeritur jam, assumta cum cell. Hartmann \*)  
 Aquarum medicatarum ad genus Solventium relatarum,  
 in: Carbonicas acidulas, Hydrothionicas, et Neutras  
 divisione, et priorum denuo, secundum praevalentes  
 Sales contentos, in alcalinas, muriaticas, et sulphuri-  
 cas distributione, — ad quam harum cohortum Aquas  
 nostras allegemus? — Sunt, qui eas thermis Badensi-  
 bus analogas, adeoque *hydrothionicas*; sunt et, qui  
 Carolinis utpote *acidulis* adnumerandas judicant. — Iu-  
 hac autem mentium dissensione nil consultius! quam  
 praecoce litis decisione supersedere, donec et exactis-  
 sima cunctarum scaturiginum analytica investigatio re-  
 cens suscepta, et practica fundatae experientiae re-  
 sultata dubium — solverint; illud probe tenendo: Opin-  
 ionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat!

---

\*) Pharmacologia dynamica. Editio alt. Viennae, 1819. Vol. I. pag. 270.



## Caput. IV.

**O**mnimodo balneandi scopo thermae Budenses a priscis inde temporibus usurpatae fuere. Romanis in oblectamentum, munditiae curam, et tuendam valetudinem suas fuderunt undas, — quas et antenati ut singulare naturae benignae donum aestimabant. Religioso plane cultu nefandi Patriae hospites Turcae magnifica posuerunt balnearum labra, atque ob aegrorum dulce solamen persaepe largitum, multum celebrati et actu petuntur undequaque foecundissimi h[ab]i valetudinis fontes! —

Duplex vero colitur hodie medicatus thermarum Budensium usus: alter externus, internus alter. Priore collotenus corpus aegrotum salubribus mergitur undis, limo que thermali (in thermis Gerhardianis) singulae foventur partes affectae; dum altero aegroti labiis fervidum sugunt medicamen. — Junctim et frequenter utraque adhibetur memorata medendi methodus, *nulla tamen norma, nullisque principiis firmis aliisque superstructa* — ! \*)

Superest nunc quaerere, quomodo? et quibus medeantur morbis aquae Budenses? — ordiemurque a priori:

Summum Medico rationali decus, summusque Jamatologiae finis is certo est: nosse pharmacorum diversissimorum ad organismum humanum, speciatim aegrotum, relationem dynamicam - actionis modum, ut sic illorum ope perscrutato morbo statui congrua ferrari valeat medela. — Plures ad hancce metam asse-

\*) Quaeplam, suis observationibus superstructa de hoc objecto pertractant: Stoker op. cit. pag. 110 et sequentibus, nec non Denhoffer op. cit. pag. 71.

quendam ingredi vias, omni Medicorum notum. Harum hic binas adduxisse sufficiat: alteram, qua analogia duce a chemice sibi affinibus et sua de activitate cognitis, ad similes quoque concluditur vires medicatas; alteram, quae observationum innititur resultatis, actionem corporis medicati in organismum humanum definite aegrotum praesentantibus. —

Quaeritur jam, quae sit thermarum Budensium virtus-actio medica? quaque ratione definienda? et asseres: opus minime esse fatigosum, conferendo nimirum has cum sibi similibus analytice notis, lustrandoque status morbosos earum usu adusque sublatos — ast, quot non et quanti posterioris hujus moliminis auctori insurgent obices? dum priora tentanti anxia manebit thermarum Budensium (in praesentiarum statu —) ad seriem certam Aquarum mineralium relegatio, infamisque rudis empyriae nota! Accedit et hoc: cunctas fere Aquas ad tribum Solventium relatas, respectu effectuum, quos iu vitam humanam exserunt, et morborum, quibus opponuntur, plurimum inter se consentire, convenire. Porro nec ita simplex Aquae nostrae, quemadmodum salia quaedam aut plantae, sistunt corpus, ut inde ob partes constitutivas predominantes, ad illa, cognitae similis compositionis, et definitae actionis, remedia tuto relegari valerent.

Haec tamen cuncta, alteram potius quaestions partem, mox uberioris pertractandam, respiciunt, minime vero eam, de qua agimus, obtutui nobis sistunt; et sane — opus difficillimum! tantam, quantam nullum aliud pharmacon, respectuum cohortem exposcens. Quare thermographi vix non omnes, cum de Aquarum suarum in organismum humanum actionis modo agunt, aut Gasibus his ligatis summam tribuunt virtutem, aut in Salibus solutis principale agens agnoscunt. aut porro speciales sibi Vires electro-chemicalas, et hydro-

galvanicas singunt — aquarum tanquam Archaeo, — quin ipsi penitus has Vires noscant, multo minus eorum in corpus efficientiam attingant, aut demum sunt, qui omnem Aquis mineralibus medicam denegantes virtutem, hanc solam in externis vitae rationibus mutatis consistere sibi persvadent. — — In quantum horum singuli praefixam attingant metam, in aperto est! —

Necesse igitur, sumam pensitare respectuum, e qua, scrutinio omni ex parte complete instituto, Aquarum Budensium ad vitam humanam relatio quondam — erui, sistique valeat:

Principale certo agens Caloricum est, (faultas illa macrocosmi procreans cuncta et animans, — productum una in aeternum secreti, ast indubii, electro-chemici processus Vulcanorum ignibus, fervoreque Aquarium mineralium se manifestans, — innatum organismo animali vitae principium, — elementum demum chemicum thermometro nobis metendum) cuius gradus varius, applicationisque tempus quam maxime censendum. Gas a porro varia, ut: Gas acidum carbonicum (vera illa Aquarium mineralium, ut volunt, anima, partiumque in his contentarum Solvens praecipuum) Gas hydrogenium sulfuratum, nec non Sales in Aquis soluti, et simul cunctorum horum per cutem absorptio aestimanda; pressio dein, tensio electrica (vel si placet, vis hydrogalvanica) et fluctus aquarum, organisimum his immersum adluentes, probe pensitandi. Aegroti demum omnimodus respectus, — morbique illius diagnosis exactissima, mutatus rationum tum physicarum, tum psychicarum status, curae in morbum effectus, temperatatis ratio etc. solerter respicienda.

Hac itaque momenta normam fore putamus, qua duce, et simul, revelata scaturiginum omnium

Budensium chemica indole, morborumque historica consignatione exacte suscepta, diversa quoque usus ratione spectata, tandem — avidae menti humanae de thermarum Budensium in organismum aegrotum actione, qui fiat? sciscitanti, Medicinae dogmati conformiter obveniri, atque indicationum principia solida definiri queant! —

Ad alteram nunc quaestione partem respondendo, cunctas morborum enumerabimus formas, in quibus sanandis thermae Budenses adusque inclaruere:

Praetermittimus quidem nunc cum STOKERO dicere: virtute thermarum Budensium „*Spiritus puros, volatiles et luminosos reddi, torpescentes segnesque ad motum provocari, nimium mobiles et volatiles coerceri* — *Humores deficientes restitui, nimium calidos refrigerari, frigidos calefieri, tenaces et viscidos attenuari, in motum progressivum promoveri, motum praeposterum inverti ac affluxus sisti, obstructiones reserari*, — *Tonum partium solidarum naturalem conciliari*, — *Vitia superficie tolli*, — *Solutiones demum continui consolidari*;“ nihilo minus tamen et hodie Aquis nostris sanantur iidem illi morbi, qui tunc temporis in spiritibus; humoribus eorumque motu, tono aberrantibus radicari somniabantur.

DENHOFFER recentiorum jam Medicinae dogmatum Minister *Hydropem* e diversis causis ortum, *Digestionem laesam*, dyspepsia, flatibus, meteorismo et pituita intestinali gravatam, *Dysuriam*, *Stranguriam* arenum et vesicae sabulo et pituita enatam, *Artuum rigiditates*, tumores, dolores, languores, a vi externa tendinibus et ligamentis illata, nec non e diathesi rheumatica aut arthritica provenientes, sanatos, — *Habitum scrophulosum*, *Phthisim pituitosam*, *Leucorrhoeas*, varios nervorum *Spasmos*, emendatos, *Catamenia retenta restituta*, — *Febres intermit-*

*tentes tertianas fugatas*, — quin imo et *Vermes expulsos* — per thermas Caesareae refert. Unde vires Aquarum generales statuit: „*solventes, incidentes, stimulantes, excitantes, roborantes, antiscrophulosas, antirheumaticas, antarthriticas, diaphoreticas, ac diureticas*“ — quamvis principale et unicum Aquarum agens illi fuerit: *Hydrogenium sulfuratum!* —

Easdem plane valetudinis noxas Commissio Medica Dissertatione sua comprehendit; illud tamen non nullis in locis discutiendo: Indicationem pro usu Aquarum nostrarum non unice *externae morbi Formae*, sed et *Causis*, et modificatae per has morborum *Indoli* superstruendam esse.

Nunc idem, quod praedecessores fecere, nobis incumbit.

Rebus quidem ita se habentibus, ut nullorum morborum, thermis Budensibus sanatorum, consignationes hucadusque manu practica exaratae habeantur, e quibus qualitativa ad organismum aegrotum relatio collineari, sistique valeret; necesse tamen est, diversas illas valetudinis noxas praesentibus enumerare, quas, — licet comparatione modo — thermarum nostrarum cum aliis Aquis solventibus, — earum quoque usu sublevari ac sanari credimus! —

Diversas autem has morborum formas in praesentiарum statu nonnisi empyrice magis — proponi possunt, cuivis peritorum et praemissis constabit; quare enumerationem illarum anatomicae partium organicarum, in quibus praecipue resident, seriei superstructam tentabimus. Pertinent huc:

1-mo Morbi *cutanei*, ut Impetigines omnis speciei, Ulcera inveterata, nec non mala et praecoci earum suppressione, et horum consolidatione enata.

2-do Adfectiones diurnae membranarum mucosarum, internam organorum faciem obvestientium, et

mala diversissima ex hinc originem ducentia, ut Catarrhi, Asthmata, variae Digestionis anomiae, Blenorhoeae pro diversitate partium variae.

3-tio Passiones membranarum serosarum et fibrosarum: Dolores rheumatici, arthriticique, cum malis ex his propullulantibus, articulorum tumoribus, rigiditatibus, nodis, contractionibus, paralysibus, etc.

4-to Diversissimae varii systematis vasorum anomiae: Scrophulas, Hydropem, glandularum et viscerum Tumores, Infarctus, Fluxus menstrui turbas, varias secretorum humorum Crases, et innumeris pene nominibus comprehensa mala inducentes.

5-to Porro variae e recensitis emergentes — vitae sensiferae alienationes.

6-to Tandem nec reticendi sunt miserandi illi, qui veneforum metallicorum horridis abusus sequelis crutiantur.

Multarum certo adversae valetudinis formarum mentionem in mox praestita enumeratione desiderari, perbene nobis notum, — sed et quaerimus, quem artis peritum fugiat? practicam plurimorum morborum chronicorum perspicaciam densa adhucdum tegi caligine; quamsaepe non symptoma morbi, quamsaepe non effectus morbi - morbus secundarius pro ipso sumuntur morbo primario, radicali? et quam varius non est in morbis chronicis symptomatum lusus, functionumque organicarum aberrantium nexus? quot non manent Physiologiae, Pathologiae in hoc objecto reuelanda mysteria? demum, quam argutae non requirerentur morborum, solertissimis simul et symptomatum, et decursus horum (per Curae thermalis tempus) consignationibus, jungendae diagnoses? ut sic tandem diversissimorum formarum morbosarum (persaepe nec nomine salutandarum —) fundamentales eruantur affectiones — quibus, omni ex parte, thermarum Budensium corresponderet usus.

## Caput V.

**M**ultiplicia, tamque abunde nota sunt, quae e coordinationibus Fori politico - medici rite effectuatis in societatem humanam redundant, emolumenta, ut eadem hic loci non modo commemorare, sed vel attingere superfluum esse censemus. Nostrum nonnisi est, eas utilitates pro dignitate pensitare, quae ex administratione politico - medico thermali solerter ordinata, tum in ipsius Medicinae locupletationem, tum praeprimis in aegrorum emanarent solamen; juvabit igitur praecipua administrationis thermalis momenta, quae hucdum Budae in votis sunt — paucis lustrare.

Commissio politico - medico thermalis deleganda, et Altiori Loco pro benigno-gratiosa ratihabitione sub-sternenda, suo gaudeat thermarum Inspector, cui adjungantur singularum thermarum Commissarii, una cum proprio thermarum Budensium Physico; priorum curae cuncta, quae Politiae nomine veniunt — subsint, dum quae Medica concernunt, postremo imponantur, concredantur. — Sint autem hi Viri, animi candore, justi verique amore insignes! — et Medicus insuper non solum practicis Medicinae principiis, sed et historico-naturalibus, physicesque cognitionibus imbutus; innatum illi sit in solo Budensi omnimode perquiendo, indefessumque in eruendis Aquarum principiis chemicis studium; cunctorum porro morborum, aut per se, aut per alios observatorum, communicatorumque decursum omni cum solertia vere practice consignet, ut sic, si quae inter thermas Budenses esset differentia quaepiam, innotescat, specialesque

thermarum singularum ad morbos relationes in Medicinae decus, aegrorumque Solamen tandem — eruantur!

Plura et laudabilia respectu Administrationis hujus ex parte Militari ordinata et constituta strenue jam dum exsequebantur: instructa nimirum in vicinia thermarum Gerhardianarum ad rationes Aerarii Regii domo, pro militum aegroram numero 88 usque 98 susceptione destinata, ordinatisque simul pro toto curae thermalis tempore, a 1. M. Maji usque 30. Septembris durante, Inspectore (*Spital Comandant*) et Medico, quorum officium esto: cuncta sua curare, et exactas desuper relationes praestare. Ad augendum tamen saluberrimi hujus instituti valorem nunc temporis Suae Caes. Reg. Majestatis Consiliarius, et Stabalis Budae Medicus militaris dirigen<sup>s</sup> Dr FRANCISCUS A TSCHOEPERN novas, politiam medico-thermalem respicientes, regulas, Supremae Armorum Praefecturae substratas, exaraverat, quas in latium sermonem translatas, sequentibus dabimus:

§. 1. Milites aegroti, pro cura destinati, pleno gaudeant normali vestitu, et, si relate ad hunc individuum quoddam defectu aliquo laboraret, illico is, ex parte concernentis regiminis, ad quod individuum spectat, resarciatur.

§. 2. Cum temperatura atmospherae mense Mayo in genere depressior sit, tempus ideo usuandi balnei adaequatissimum pro hora matutina 7 constituatur. Mense vero Junio, Julio, Augusto hora 6, mense tamen Septembri denuo hora 7 balneetur. Postmeridianum tempus ab hora 3 — 6 promiscue eligendum.

§. 3. Scito et posito eo, quod in balneorum calidorum usu refrigerium omne, non solum horum anihilet actionem, sed et ipsissimis suis noceat sequelis, variosque non raro periculosos inducat morbos, prima

ideo sit politiae thermalis, hujus Praefecto et Medico strenue observanda regula, ut aegroti e xenodochio in balnea euntes, non perisomatibus, (quod adusque persaepe contigit) sed caligis e panno paratis pallioque provisi, per Centurionem ducantur, cui postremo ad id praecipue invigilare incumbat: ne facto balnei usu minus caute vestiti sua denuo petant cubieula.

§. 4. Ad virtutes thermarum non modo promovendas, sed et rationali medendi plano jungendas, in Arthritide, Rheumatismo et Impetiginibus summe necesse, ut post balnei usum tempore lecti adminus per horam unam transpiratio cutanea solicite foveatur, et postmodum nonnisi aeger bene vestitus in libera commoretur aura. Spretum hoc consilium, possibilitatem recuperandae sanitatis multum inhibens, in causa est, quod magnus aegrotorum numerus saepe nec malorum suorum persentiat levamen.

§. 5. Cum milites aegroti hucadusque e collecta (Menage) conviventur, ciborum vero morboso statui convenientium qualitativa electio, et individui nutritio magnam quoque curae partem constituant, necesse ideo, ut Medicus thermalis praedicta rite aestimans, individua malo simili vexata consociet. Simili ratione et potulentorum habeatur respectus. In genere leguminum et cremati usus, quantum possibile, parcus sit.

§. 6. Si contingat, individuum quoddam e numero balneantium novo corripi morbo, illud sine mora anamnesticis (*vorläufige kurze Zustands-Schilderung*) provisum ad Nosocomium militare Budense mittendum est. — Morbo externo vexati, ab iis, morbo interno laborantibus, et praecipue Institutorum militarium tirones (*Erziehungs-Knaben*) a caeteris aegris separantur, simulque sidi constituantur vigiles, moralitatem horum curantes.

§. 7. Cum vero nec desint aegri simulati, qui per totum curae tempus insuper nullum sui morbi levamen consecutum mentiuntur, et tali ratione non solum ordo officiorum in legionibus perturbetur, sed et honesto laboriosoque militi tales pessimo cedant exemplo, hinc Medico thermali summa sit in individua talia attentio, ut evicta morbi omnis absentia, reconvalescentium nomine legioni suae restituantur, ibique competentem suae deceptionis luant poenam. — Absoluto vero curae thermalis tempore, simulatores nominatim, et, cui adpertineant legioni, Protocollo aegrorum inserantur, ut, occasione petitae nefors Superarbitrationis, Stabalis Medico-militaris Directio statum individuorum talium magis congrue dignoscere et classificare valeat.

§. 8. Evicta illa experientiae medicae regula, non tam numero, quam congruo, statui individuali accommodato, balneorum usu, sanitatem deperditam restitui, rationale erit: individuis cachecticis, aut mox e graviore morbo reconvalescentibus una solum vice di etim balneum ordinare, et rite aestimato semper reactionis organicae effectu, tandem bina concedere balnea; cum omnes Aquae minerales jam per se massam organicae chemice afficiant, et abusus omnis discrasiam praesentem adangeat, hinc quoque individuis talibus per aliquot saepe dies usus balneorum inhibendus, ut organismus intensivo suo valore normalem nanciscatur reagendi facultatem, concesso eodem (si necesse fuerit) postmodum denuo.

§. 9. Ut autem Suprema Armorum Praefectura Hung., et Stabalis Medico-militaris Directio semper de numero aegrorum usum thermarum facientium informantur, Medicus thermalis cum subscriptione Inspectoris singula 5ta. dic non solum Sanitatis Directioni, sed

et Supremae Armorum Praefecturae relationes summarias praestet, notato simul pro susceptione nova contingente aegrorum decessu.

Plura certo — mox recensitorum momentorum communem merere censemus respectum.

*Et his nunc claudimus hocce pii in Patriam amoris testimonium!!! —*



---

## T h e s s.

1. **A**qua est minera.
2. Virtus et actio Aquarum mineralium, utut Analy-  
sim chemicam exactam praerequirat, ex ea sola  
tamen minime definiri valet.
3. Administratio politico - medico thermalis rite ordi-  
nata in Medicinae locupletationem et aegrorum  
cedit solamen.
4. Aquae minerales artefactae Struvii iisdem naturali-  
bus nec aequiparari, multo minus substitui valent.
5. Humanitas summa sit medici dos.
6. Medicus genuinus sola formularum medicarum exa-  
ratione non omnia se praestitisse putat.
7. Coeca novitatum captatio Medicinae summo est de-  
trimento.
8. Diagnosis Hydrothoracis ab Ascite non tantis, ut  
vulgo creditur, premitur difficultatibus.
9. Observationes meteorologicae cum pensato genio  
morborum regnante multam et Diagnosi et The-  
rapiae adfundunt lucem.
10. Sectionibus tum physiologicis, tum pathologicis,  
Medicinae perfectio multum in acceptis debet.
11. Optimum interdum est medicamentum: nullum  
adhibere medicamentum.
12. Homoeopathiae, vix natae, mox faces deflagrabunt,  
non immerito.